A. Saekel

Quaestiones comicae de Terenti

exemplaribus Graecis.

Quaestiones comicae
de
Terenti exemplaribus Graecis.

Dissertatio inauguralis
quam
amplissimi philosophorum ordinis consensu et auctoritate
in
alma litterarum universitate
Friderico-Guilelma Berolinensi
ad
summos in philosophia honores rite capessendos
scripsit

Arthurus Saekel
Regimontanus.

Promotio habebitur die 24 mens. Iun. a. 1914.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt
proff. ordd. publl.

Eduardus Norden

Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff.

Typis expressit Hermannus Blanke, Berolinensis.

DIS MANIBVS PARENTVM.

De Terenti exemplarium reliquiis.

Quanto gaudio futurum esset quantoque commodo exempla Attica, si aetatem tulissent, comparare cum comoediis Terentianis, iam G. E. Lessing, et antiquorum et aequalium elegantissimus in rebus scaenicis arbiter, clare perspexit, cum in dramaturgiae Hamburgiensis quam vocat cap. 99. sub finem haec dicit:

> „*Möchten wenigstens nur diejenigen Stücke des Menanders auf uns gekommen sein, welche Terenz genutzt hat! Ich kann mir nichts Unterrichtenderes denken, als eine Vergleichung dieser griechischen Originale mit den lateinischen Kopien sein würde*“.

in hac quaestione multo feliciore nos utimur condicione illo. cui nulla fere praesto erant doctrinae praesidia, quia poetarum disiecta membra maximam partem in grammaticorum libris oblivione tum erant obruta. insequentis autem saeculi et in edendo et in colligendo studiis novae comoediae scientia longius est provecta. nostro denique reservatum erat saeculo fabulas ipsas ex Aegypti sepulcris recuperatas oculis aspicere aliqua spe usque ad hunc diem decepta. nam pro sua perfidia Fortunae ne unum quidem placuit nec Terenti nec Plauti exemplar Atticum nobis donare, quo fit, ut in illa quaestione, quomodo poetae Romani comoediis Graecis usi sint, multa nondum liqueant, interea res praecipue in reliquiis sit sita. quorum ea, quae sunt Terenti exemplarium, nobis in animo est retractare, si quid novi possimus proferre.

Fere 80 fragmenta sunt, quorum 35 debentur Donato, 9 Athenaeo, 8 Stobaeo, 7 Photio, bis 3 Polluci et Zenobio, quinquies 2 Plutarcho, Clementi, Suidae, scholiis Platonis, monostichis, reliqua aliis. quare, quia plurima exstant apud auctorem Latinum, antea pauca de Donati codicum litteris Graecis opus est dici. nam quamquam plurimam illi debemus gratiam, quod totos Graecorum ver-

siculos commentario interdum inserere operae pretium putavit, tamen gaudium nostrum plus quam semel perturbatur litterarum ductibus adeo depravatis, ut initio iam nihil putes posse indagari. sed qui diutius de verbis Graecis apud illum traditis quaesiverit, brevi intelleget rem non tam esse desperatam. omnibus enim, quae certa ratione correcta esse satis constat, aliis cum aliis collatis litterarum corruptarum leges quaedam certissimae possunt inveniri. itaque librariis illis Donati codicum non tam maledicendum quam laudi tribuendum est, quod ne minima quidem linguae Graecae scientia adiuti mira fide atque sinceritate litteras plane ignotas quam poterant accuratissime depinxerunt. quare inprimis vocibus grammaticis, quae iam sunt correctae, collatis tabulam instruxi corruptelarum usitatarum. litterarum formas e Wessneri editione sumpsi. duo genera mendorum distingui possunt: altera quae in oculorum, altera quae in aurium posita sunt errore. ponuntur autem:

No.	falsa	pro recta	errore graphico	errore phonetico	No.	falsa	pro recta	errore graphico	errore phonetico
1	ⲁ		Δ, Λ	O	18	M	}	NI, Φ	
2	ⲁⲁ		M		19	m		ΠΙ, ΠЄΙ	
3	ⲁI		M		20	N		Π, H, NI	
4	B		P		21	N I		ΛH	
5	Γ		T, C		22	O		Є, Φ	ω
6	ΓΓ		B		23	Π		TI, IT, H, N	
7	ΓI		Π		24	R, r		K, X, H, Γ, Y	
8	Δ			T	25	P, p		Π, Є, Φ, P	
9	Є		Θ, C, O	H	26	Ϭ		O, T	X
10	H		N, Π	ЄI, I	27	T		Λ, Γ, P, C	
11	Θ		Φ, Є	T	28	TI		Π, ΠI	
12	I		T, Y	H, Y	29	Y		X	I
13	II		Γ		30	y		Ψ, C	
14	IT		Π		31	Φ		Θ, C	
15	K		H, X	X	32	X		Λ, ⲁ	
16	L		P		33	ω			O
17	LЄ		ω						

iam licet ad rem accedere.

I. De Andriae exemplarium reliquiis.

Notum est Terentium Andriae suae subiecisse fabulam ὁμώνυμον Menandri, pauca, *quae convenere in Andriam, ex Perinthia* eiusdem auctoris transtulisse [1]).

A. Andriae Menandreae fragmenta.

Meineke, Menand. et Philem. pgg. 18—22; Grauert, analect. pgg. 178—185; Dziatzko, Mus. Rhen. 31 pgg. 234—253; Kock, com. Graec. fr. III pgg. 14—18.

1. (= 38 K.).

⏓ – ⏑ – νῦν δ᾽ οὐ λέληθας ⟨ἐ⟩μὲ πάνυ.

Ter. Andr. v. 204, postquam Simo Davum praemonuit, ne illo die se fallere conaretur, servus haec:

bona vérba, quáeso! — erus autem:

inrídes? níl me fallis! edico tibi,

ne temere facias. ad haec Donatus:

(4) *nihil me fallis]* id est: *non te ignoro, non me decipis.* sic Menander: νῦν δ᾽ οὐ λέληθας ΜΕΝΑΜ (: A; ΔΛΕΝΔ : Vat. 1673). (7) *nihil me fallis] nihil* pro *non* (cf. ad Andr. 202 al.).

codd. testimonio haec videntur constare: νῦν δ᾽ οὐ λέληθας, ad quae accusativus με (vel ἐμέ vel μ᾽) est adiciendus. litterarum ΜΕΝΑΜ igitur prima Μ vel etiam ΜΕ ad hunc accusativum referri possunt. sed quid est ΝΑΜ?

si Menander hoc tantum scripsisset: νῦν δ᾽ οὐ λέληθας, puto Terentius transtulisset: *non me fallis*; nunc autem scripsit: *nil me fallis*, quo fit verisimillimum illud οὐ apud Menandrum aliquo modo fuisse auctum [2]). de οὐδέν ipso non debet cogitari; nam primum lectio fragmenti οὐ λέληθας certissima est, tum lemmata (5) et (6): οὐδέν με λανθάνοις ἄν; οὐδέν με λέληθας non ad Menandri versum

---

[1]) prol. vv. 9—14; didascalia *Graeca Menandru* deest in codd.; Donat. ad vit. Ter.; id. praefat I 1.

[2]) cave ne offendas in lemm. (7); *nihil* pro simplici *non* in sermone cotidiano adhiberi multo frequentius — recordare innumerabilia illa *nil opust* et *nil moror* — quam οὐδέν pro simplici οὐ — in toto Menandri volumine duos tantum locos (Epitr. 583; Sam. 25) inveni —, id non ignoro. tamen hic locus excipiendus erit, quia senex servum plane perspicere se gloriatur.

respiciunt, sed id unum spectant, ut figura ἑλληνισμοῦ legentibus quam accuratissime demonstretur, quare ibi Terenti *nihil* per οὐδέν exprimitur. sed praeter hoc verbum alterum quoque exstat, cui inest aliqua efferendi vis, dico verbum πάνυ, quod etiam in litteris servatis ΝΑΜ mihi videor recognoscere (t. 20. 18). hoc vocabulum ob formam iambicam saepissime in versuum ultimam sedem remotum non modo adiectiva auget, sed etiam verba et positive et negative dicta (Peric. 131. 303. 336. 428. Georg. 41. Phasm. 48; Aristoph. Lys. 73. Plut. 235. — Cith. 53. fr. 746; Aristoph. Nub. 902). tum in versu Menandreo unam Ε (post C) intercidisse statuendum est et versus ipse sic legendus:

ᴗ — ᴗ —. νῦν δ' οὐ λέληθας ⟨ἐ⟩μὲ πάνυ,

i. e. *plane te perspicio*. ἐμέ orthotonumenon Simonis personam non effert, cf. Epitr. 437 al. —

Dziatzko (l. c. pg. 235) haec suadet ut scribantur:

νῦν δ' οὐ λέληθας μήν ἐμέ.

quibus adiciam hoc: μήν si est coniunctum cum altera particula, artissime cohaerent nec ullo dirimuntur verbo apud Menandrum; e. g. affero: οὐ μήν: Sam. 288. Cith. 59; ἀλλὰ μήν: Sam. 230. Peric. 262. inc. I 40; καὶ μήν: Peric. 424. Phasm. 45.

2. (= 40 K.).

Ἄρτεμι, . . .

Ter. Andr. v. 473. Glycerium doloribus pariendi differta exclamat haec:

Iunó Lucína, fer opem, serva me, obsecro[1])!

ad haec afferunt Donatus:

Iuno Lucina] obstetriciam hanc potestatem Iunoni attribuit, quamquam illam Menander *Dianam* appellet et hoc sentiat in Bucolicis (IV 10) Vergilius.

et Eugraphius (nempe illo nixus):

---

[1]) = Adelph. 487; rudius Plautus (Aul. 691):

perii, mea nútrix, obsecro te, uterum dolet!
Iuno Lucina, tuam fidem!

idem Trucul. 476 (Phronesium meretrix):

dáte mi huc stáctam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.

hanc *(Iunonem)* quidam tamen potius *Dianam* esse dixerunt: nam ita Menander ipsam vocat, cum dicit Ἄρτεμιν.

iam pridem collatum est cum loco Terentiano scholion in Theocr. 2. 66: καὶ παρὰ Μενάνδρῳ αἱ κυΐσκουσαι ἐπικαλοῦνται τὴν Ἄρτεμιν ἀξιοῦσθαι ξυγγνώμης, ὅτι διεκορήθησαν. verba scholiastae eximia cum benignitate mecum communicavit Wendel, vir doctissimus, quo curante scholia in Theocritum vetera apud Teubnerum mox edentur. ἐπικαλοῦνται Meineke scripsit (IV 1841, 82) pro ἐπικαλεῖσθαι codd. sed formae appellationis ἐπικαλεῖσθε et διεκορήθητε, quibus Grauert (l. c. pg. 180) adductus est, ut Menandrea hic latere putaret, in codd. non leguntur.

3. (= 41 K.).

⏓ – ∪ – ⏓ λούσατ' αὐτὴν αὐτίκα.

Ter. Andr. v. 483. Lesbia obstetrix Archylidi matronae, quae cum Myside ancilla in domus limine stat [1]), haec imperat:
*nunc prímúm fac *istaec *ut lavét*; *póste deindé* e. q. s. ad quae Donatus:

(1) *nunc primum fac ista ut lavet]* imperitiae notantes Menandrum et Terentium ipsi ultro imperiti inveniuntur. nam et ille λούσατ' αὐτήν dicens a consuetudine non recessit, cum *lavisse[se] aut non lavisse* a parte totum significantes — et Terentius propius ad significationem accessit *ista* dicendo, ne pudenda nominaret.

(3) *fac ista ut lavet] ista* quae ex puerperio sordebant. quidam *istam* [2]), ipsam puerperam dicunt — sic enim et Menander λούσατ' αὐτὴν αὐτίκα — sed imperitiae accusantur, quod non continuo solent post puerperium lavare, sed diebus omissis.

Verbis Menandreis a Bentleio correctis nobis restat, ut versum Terentianum cum scholiis Donati tractemus. et cogitanti mihi, unde incipiens celerrime rem ad finem deducam, in mentem venit ea, quae sentirem comprehendere his thesibus:

1. *lavare* ponitur et transitive (= ***reinigen***) et intransitive (= ***baden***); hoc loco necesse est verbum adhibitum esse transitive, quia puerperae

---

[1]) cf. ***date*** v. 485.

[2]) sic codd. A B T C; quod W nescio quo iure mutavit in ***ista***. falsissimum hoc est. nam verbo *quidam* Donatus inducturus est alteram praeter ***ista*** lectionem, qua docti illi ipsam puerperam putabant significari. haec nulla alia potest fuisse lectio nisi ***istam*** (cf. etiam: ***sic et Menander*** αὐτήν).

suarum virium nondum sunt compotes (cf. λούσατ' αὐτήν; Don. lemm. (3) sub fin.).

2. *fac* referendum est aut ad personam quae appellatur (=*tu selbst! m. Infin.*, quae vox est vulgarior) aut ad alteram quandam (=*veranlasse . .!*); hoc loco, quia non traditur *fac . . . laves*, imperativus necessario referendus est ad alteram personam, quae nemo potest esse nisi Mysis ancilla.

3. quibus coniunctis perspicuum est totam sententiam valere hoc: *veranlasse die Magd, daß sie die Wöchnerin reinige.*

iam codd. inspiciendi sunt. exhibent autem:

BEG	istaec ut	Donatus (1)	ista ut
C	ista^{ec} ut	id. (3)	istam (ut?) [quidam]
D	istaec ut	Eugraphius	ista ut
P	ista ut	[schol. Bemb. Ad. 482 illam ut.]	

porro de verbo *facere* hoc est dicendum: ut ante se habet accusativum personae iussae (Pl. Asin. 28. al.), ita post se habet eiusdem nominativum (Eun. 311). coniunctio *ut* et adhibetur (Heaut. 84; Pl. As. 28) et saepius omittitus (Andr. 408. Eun. 311. 320; Pl. Ps. 49). ergo secundum sermonem cotidianum et codd. lectiones legimus haec: *nunc prímúm fac ísta** $\overset{m}{ec}$ *út lavét . . .*, in quibus *ista* nom. sg. fem. gen. significat ancillam, quae cum era in limine stat. denique desideratur accusativus puerperae ad *lavet* (cf. thes. 1). Glycerium autem commemoratur verbo *haec* vv. 481. 2:

adhúc Árchylís quae ádsolént quaéque opórtét
signa ésse ád salútem, ómnia húic ésse vídeó.

quid veri est similius, quam poetam insequenti quoque v. eodem demonstrativo usum esse? sic igitur pergebat:

nunc prímum fac ísta ⟨há⟩nc [ut] lavét; póste déindé . . .

in his *ista hanc*, ni fallor, primo mutata sunt in *istanc.* quo ex verbo censeo ortas lectiones *ista ut*, *istaec*, *istam*, quae et ipsae interpolatione auctae sunt in *istaec ut*, *istam ut*.

in Donati lemm. (1) Sabbadini in *aut non* Graecum αὐτήν latere cognovit. ergo, cum hic de nulla alia re nisi de verborum *ista istam* αὐτήν vi agatur, et ex hoc et ex insequenti *a parte totum significantes, et Terentius propius* (scil. *quam Menander*) *ad significationem accessit* ista *dicendo* — ex utroque sequitur pro posteriore [1])

[1]) non pro priore, coll. in eod. lemm. λοῖσατ' αὐτ. *dicens* et *ista dicendo*.

lavisse scribendum esse *dixisse*. quare pro priore *lavisse[se]*, quod tum demum corruptum est, cum αὐτήν in *aut non* depravatum erat, quod cumque vis licet inserere. atque ut participium ***significantes*** retineam, nom. c. infin. fingo pendentem ex verbo ***(cum) videantur***, quo hucusque nihil inveni melius. tum Donatus haec dicit:

(1) ***nunc primum fac ista*** (= τὰ αἰδοῖα) ***ut lavet]*** imperitiae notantes Menandrum et Terentium ipsi ultro imperiti inveniuntur. nam et ille λούσατ' αὐτήν dicens a consuetudine (*scil.* Atticorum dicendi) non recessit, cum videantur αὐτήν dixisse a parte totum significantes, et Terentius propius ad significationem accessit *ista* dicendo, ne pudenda nominaret.

fuerunt igitur — vix est credibile — grammatici tam spinosi, ut vituperarent Menandrum, quod dixisset λούσατ' αὐτὴν αὐτίκα, quia non tota puerpera a vertice usque ad imos talos lavaretur, sed tantummodo τὰ αἰδοῖα! contra quos Donatus poetam defendit: Menander secutus est Atticorum sermonem cotidianum, qui semper omnes dicebant λούσατ' αὐτήν, non sic intellegentes haec verba, quasi totum puerperae corpus esset lavandum, sed ita, ut ea tantum pars purganda esset, quae pariendo laboraverat. dixit igitur totum: αὐτήν, ut significaret partem: τὰ αἰδοῖα[1]).

4. (= 42 K.).

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – καὶ τεττάρων
ᾠῶν μετὰ τοῦτο φιλτάτη τὸ νεόττιον.

insequenti versu (484) eadem obstetrix de potionibus talia imperat:

quod iússi éi darí bíbere et quántum ímperávi
date: móx ego húc revórtar.

verba Menandri servantur apud Photium et Suidam s. v. νεοττός. in contextu ille exhibet τὸ νεοττόν, hic τὸν νεοττόν. Hesych. (III. 150 Schm.) s. v. νεόττιον· Ἀττικοὶ τοῦ ᾠοῦ τὴν λέκιθον· καὶ ὁ ὑφ' ἡμῶν νεοττός. Phrynich. (pg. 206 Lob.) s. v. νοσσός, νοσσίον· ἀμφοῖν λείπει τὸ ε, διὰ τοῦτο ἀδόκιμα. λέγε οὖν νεοττός, νεόττιον. ad haec

[1]) pro ***a parte totum*** .. Schopen scribi iubet ***a toto partem significantes.*** et recte quidem monet; nam a toto (αὐτήν) certe significat partem (τὰ αἰδοῖα). tamen pro parte (τὰ αἰδοῖα) dicit totum (αὐτήν). cum ***significare*** et ***dicere*** alterum alteri opposita sint. quare levissimi huius lapsus culpam potius Donati ipsius in cogitando quam scribarum in depingendo indiligentiae malim assignare.

Lobeck (pg. 207) annotat: νεοττός *disyllabum est in Men. versu apud Suidam s. v.*, non bene. recte Meineke (l. c. pg. 19): *possis etiam* τὸ νεοττίον (nisi quod coll. Phryn. et Hesych. melius est προπαροξύνειν); idem senariorum reliquias ita constituit, ut τὸ νεόττιον in fine versus ponatur. in quo eleganter sensit; nam primum caesura penthemimeres nullo nisi hoc modo obtinetur, deinde usu Menandreo numeralia saepe versuum finibus a suis verbis dirimuntur (Peric. 153. 4 Sam. 177. 8 inc. II. 10. 1), tum verbum νεοττιάν simile huic νεόττιον utpote ortum ex eadem radice in v. cuiusdam Menandrei conspicitur fine (Peric. 278). quo exemplo cum probatur etiam νεόττιον in ultima sede potuisse exstare, tum demonstratur illam synalopham νεοττόν, quam vetuit Phrynichus, Lobeck iussit, plane a Menandri consuetudine alienam esse. — in fragm. Graeco deest imperativus, quem Terentius expressit Latine *quod iússi éi darí bíbere . . ., date.* Charisius (GL I 124) haec affert Titini e † *Prilia: dáte illi bíber, iracunda haec est*, ubi in margine ascriptum: τὸ πιεῖν. poterat igitur verbum esse hoc: (δὸς vel) δότε πιεῖν (Pherecr. fr. 69. 2 K [I 164]: δώσω πιεῖν), quia infinitivus in Graeco quoque sermone sic pendet ex imperativo: Ar. Lys. 923: δός μοι νῦν κύσαι; Men. Georg. 60: φαγεῖν προσέφερε, similiter. — vide quam accurate nec sine libertate verterit Terentius: λούσατ' αὐτὴν αὐτίκα mutavit in *fac ista hanc lavet*, scil. matrem familias non decere ratus una cum ancilla tam vili fungi officio, sed solam servam huic rei sufficere; paulo post autem, ubi de potionibus agitur, ambae appellantur feminae secundum Menandrum, ut suspicor, quem δότε . . . φιλτάτη coniungere potuisse constat[1]). potiones ipsas, quas Menandrum spectatoribus nominantim iuvat afferre, ille omisit: *quod iussi ei dari bibere et quantum imperavi;* quam frigide collatis Menandreis!

5. (= 49 K.).

⏑̄ – ⏑ – ⏑̄ – ⏑ μὴ λιτάνευέ ⟨με⟩[2]).

Ter. Andr. v. 543. Chremes Simoni, qui filio suo illius filiam iterum in matrimonium petit, his verbis urbane atque liberaliter se offert:

---

[1]) cf. (Sam.) 37. 8 λούσατ' ὦ τάλαν | τὸ παιδίον . . . al.

[2]) abiudicat Menandro hoc fr. de Wilamowitz, qui λιτανεύειν alienum censet a sermone comico.

áh, ne me óbsecrá!
quasi hóc te orándo a me impetrare oporteat.

Donatus haec:

ah, ne me obsecra] τῷ ἑλληνισμῷ· μὴ λιτάνευε· μὴ μάχου. Grauert (l. c. pg. 182) de his verbis iudicat non esse Menandri: *Donat vergleicht nur die lateinische Konstruktion mit der grieschischen durch den Ausdruck* τῷ ἑλληνισμῷ, *wie er das sehr oft tut.* profecto Donatus, vel qui cumque haec Graeca attulit, nihil aliud spectat, nisi ut Terenti licentiam cum Atticorum usu dicendi comparet. sed ad hunc finem nonne ille potuit exempla eligere ex ipsius Menandri volumine, quod certo in Terentio interpretando in manibus habuit? quid autem iudicabimus, si alterum quoque quod affert exemplum μὴ μάχου reppererimus apud Menandrum? atque exstat quidem in Epitreponton v. 504.

τί δέ με περισπᾷς ἱερόσυλε; ⧣ μὴ μάχου
ἀλόγιστε.

eo facilius autem credemus etiam prius exemplum Menandro esse assignandum, cum praesertim sciamus saepius et grammaticum ad Ἀνδρίας volumen respexisse et Terentium Graeci auctoris verba ad verbum expressisse. quid igitur aliud potuit vertere verbis: *ah, ne me obsecra,* nisi: μὴ λιτάνευέ με? quin numeros adaequavit Terentius adhibita interiectione *ah!*

6. (= 43 K.).

⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ ⧣ τί ποτ' ἀκούσομαι;

Ter. Andr. vv. 590 sqq. Simo senex Davo narrat Chremetis filiam iterum filio in matrimonium se exorasse, servus autem summo terrore perculsus nihil nisi abrupta verba potest proferre:

hoc aúdi: ut hínc te intro ire iussi. opportune hic fit mihi obviam.
⧣ *hem,*
num nam perimus? ⧣ *narro huic, quae tu dudum narrasti mihi.* ⧣
quid nam audio? ⧣ *gnatam ut det oro, vixque id exoro.* ⧣ *occidi.*

annotat Donatus:

quidnam audio] legitur et *audiam:* Menander enim sic ait: τί ποτ' ἀκούσομαι;

duae igitur exstant vv. ll., quarum altera *audio* traditur Terenti codicibus et Donati lemmate, alteram ipse Donatus affert verbis

legitur et, ut saepius *quidam legunt.* hos *quosdam* cave ne nimis aspernatus neglegas, quia nonnumquam potest demonstrari illorum lectiones multo meliores esse illis, quae in Terenti et Donati codicibus inveniuntur. quare quaeritur, utrum *audio* an *audiam* sit praeferendum hoc loco, i. e. utrum Davus interroget: *quid nam audio?* an: *quidnam audiam?*

sunt duo genera quaestionum: alterum earum, quibus interrogamus id, quod nondum scimus, quasque ego genuinas appello. alterae sunt eae quaestiones, quibus specie tantummodo quaerimus ea, quae modo audivimus; neque vero desideramus illa nobis iterum dici, ex quo intellegitur tales quaestiones spurias esse et optimo iure exclamationes haberi[1]. hae exclamationis quaestiones semper ponuntur, ubi quis nuntio aliquo valde commovetur. exstant complures formulae exclamationis, quibus et Graeci et Romani in hac condicione utebantur. illi exclamabant: τί λέγεις; (Ar. Plut. 143. 388).

τί σὺ λέγεις (Men. Her. 15; Antiphan. 221 K, II 108);

τίνα λόγον λέγεις (Men. Epitr. 507).

Romani autem: *quid ais?* (Ter. Andr. 137); verum multo frequentius respiciunt non ad narrantem, sed ad audientem:

quid ego áudió? (Pl. Amph. 792. Poe. 1046);

quíd ego ex te áudió? (Au. 734. Epid. 44. 246 al.)

interdum haec formula nonnullis verbis amplificatur, velut Au. 796: *eí mihí; quod facinus ex te ego audio?* et ibidem v. 822: *quód ego fácinus audio ex te?* ceteris exemplis praestat Au. 616:

di ímmortáles, quod ego hunc hominem facinus audio eloqui:
se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano Fidei.,

quo exemplo apparet has quaestiones spurias esse. neque vero nostrae linguae desunt hae quaestiones: *was hör' ich? was muß ich hören? was sagst du?* vel potius: *was du sagst!*

ab his exclamationibus dignoscendae sunt quaestiones genuinae, quae non raro apud se habent particulas, quas potes appellare: *Partikeln der interessierten Frage.* sunt autem hae: δῆτα, ποτέ encl.; *tandem, nam* encl.; *denn, wohl.* velut recte interrogatur: ποῦ πότ' ἔστι; = *ubinamst?* = *wo ist er denn?* verum numquam — hoc summum est — his particulis locus est in quaestionibus illis

[1]) Don. ad Andr. 301. *quid ais Burrhia?]* (5) miratur magis quam interrogat, vel potius indignatur.

spuriis vel potius exclamationibus. ergo si Davus interrogat: *quid nam audiam* (= τί ποτ' ἀκούσομαι;), re vera quaerit, quae brevi auditurus est quaeque nondum scit; recte igitur ponuntur particulae *nam* et ποτέ. si servus interrogaret: *quid nam audio?*, particula *nam* significaretur quaestionem esse genuinam. sed quis re vera potest quaerere sic: *quid audio?* nisi elleborosus? nam qui quaerit, non audivit, quique audivit, non quaerit. iam vides *quid (ego) audio?* semper esse quaestionem exclamationis, in qua perferri non potest particula *nam*. ergo Terentius servum finxit aut quaerentem *quid nam audiam?* (secutus Menandrum) aut perterritum exclamantem *quid ego audio!* sed primum *nam* optime traditur; tum ea quae haec verba praecedunt, non sunt talia, ut Davum tantopere necesse sit perturbari: *narro huic, quae tu dudum narrasti mihi.* permulta Davus narravit seni, quae omnia num crediderit Chremes, etiam in dubio est. quare servus, quamquam non sine nascente timore, quaerit secum: *quid nam audiam?* tum senex: *gnatam ut det oro, vixque id exoro.* nunc demum Davus summo terrore commotus murmurat *occidi*, pro quo hoc quidem loco posset exstare etiam *quid ego audio!* — sic lectio *audio* particula *nam* falsa esse vincitur.

7. (= 44 K.).

⏑̄ – ⏑ – ⏑̄ – ⏑, ἂν θεὸς θέλῃ,
οὐκ ἂν ἀπολοίμην ἔ⟨τι⟩ . . .

Ter. Andr. v. 611. Davus Pamphilo, qui a servo consulto se putat in nuptias invisas esse coniectum, conspecto haec exclamat:

posthác me incólumem sat scio fore, nunc si devito hoc malum.

ad haec annotat Donatus:

(4) Menander sic: ανθεος, θετho ˙ καν, αποασιμννε . . .

Dziatzko (l. c. pg. 238) in annotatione haec dicit: *Hinter dem ersten* C *und dem zweiten* N *ist von j. H. am untern Rande der Zeile je ein kleiner Strich gemacht.* ergo verba ἂν θεός ultro se oculis praebent in cod. A. sed praeterea in cod. Malatestiano a quarta manu (M^4, cf. Wessn. praef. pg. 21) haec sunt postea addita: ἂν ὁ θεὸς θέλῃ, οὐκ ἂν ἀπολοίμην. quibus comparatis ut certa possunt colligi: ἂν θεὸς θέλῃ. quae phrasis sollemnis (de qua cf. Lobeck. Phryn. pg. 7.) frequens est clausula versuum comicorum: Ar. pac. 1187 claudit tetrametrum; eiusdem Plut. 347. 1188. Alexid. fr. 231 K

trimetri terminantur[1]). verba οὐκ ἂν ἀπολοίμην et trimetri et tetrametri initium possunt facere, quamquam multo acceptiores erunt numeri in trimetri formam redacti. ultima ε quae servatur a Kockio amplificata est in verbum ἔ⟨τι⟩, quod probo, quia melius ad Terenti *posthac* quadrat quam Dziatzkonis ποτέ. fortasse ἔ⟨τι τὸ λοιπόν⟩, quae vides coniuncta Ar. Lys. 1278, post ἀπολοίμην interierunt ob litterarum similitudinem, sed haec non audeam contendere. verba Terenti *nunc si devito hoc malum* in fragmento Menandreo plane nihil habent, cui respondeant.

8. (= 45 K.).

⟨ἀ⟩πὸ Λοξίου σὺ μυρρίνας
λαβοῦσ' ὑπότεινε.

Ter. Andr. vv. 726. 7. Davus Mysin ancillam Pamphili filiolum ante Simonis ianuam deponere iubet haec adiciens:

⏑ ⏊ # *ex ára hinc súme verbenas tibi*
atque eas substerne.

Donatus haec:

(1) *ex ara sume h. v. t.]* ex ara Apollinis scilicet, quem ἀγυιαῖον Menander vocat. (7) *ex ara s. v.]* verbenae sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas vel omnes herbae frondesque ex loco puro decerptae. *verbenae* autem dictae veluti *herbenae*. Menander sic:

κολεξιασσυ μυρρ· υνασ | χχησα· ιετεινε.

praeterea huc pertinet Servi schol. ad Aen. XII. 120: abusive *verbenas* iam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus. Terentius: *ex ara sume hinc verbenas.* nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit[2]).

quibus collatis statim vides a tribus fragmenti Menandrei locis profectos poetae verbis mederi nos posse. nam primum verbum μυρρίνας — Servi *myrtum* — cod. incolume servat, deinde in λεξιας

---

[1]) Plaut. Bacch. 239: *si di volunt.*

[2]) hoc loco apparet Servium usum esse Donati commento ad Vergilium ab illo saepius citatum; in quo hic in altero lemm. Aen. XII. 120. respexerat ad alterum Ter. Andr. 726. itaque Donati commenta Terentiana priora Vergilianis. Terentii testimonia saepe afferuntur apud Servium: ex Donato, ut videtur.

nomen Apollinis Loxiae latere cognoverunt, tum -τεινε nihil aliud esse potest nisi Terenti *(sub-)sterne*.

priorem igitur v. sic licet informare: ἀπὸ Λοξίου (ἀπὸ Λοξία quod Meineke et post eum Dziatzko commendaverunt, retineri non poterit, postquam Kock gen. Λοξία et comicis et tragicis inusitatum esse monuit). nam ἀπὸ βωμοῦ conspicitur in v. simili Peric. 421, et nomen dei pro ara sua in comoediis poni probatur fr. 748: καθεδοῦμαι δ' ἐνθαδὶ τὸν Λοξίαν | αὐτὸν καταλαβών (cf. Mostell. 1094: *ego interim hanc aram occupabo*). lectio ἀπὸ δεξιᾶς ob id maxime refellenda est, quia nullo nisi hoc uno v. Donatus poterat comperire Apollinis esse aram nempe nusquam alibi in comoedia obviam. ultimae litterae OY poterant corrumpi in ΑC hasta sinistra litterae Y ad O tracta. — σὺ μυρρίνας cod. servat. σὺ sescenties occurrit sic abundanter, Terentius autem vertit *tibi*, ut lucraretur iambum. acc. μυρρίνας pendet ex verbo quodam, quod poeta Romanus expressit illo *sume*. litterarum ductus XXHCΑ melius quadrant ad λαβοῦσα (tab. 32: H = B; OY (= CY) excidit ante CΑ) quam ἀφελοῦσα, de quo possis cogitare coll. Peric. v. 422. tum versus sic fere sunt informandi:

ἀπὸ Λοξίου σὺ μυρρίνας
λαβοῦσ' ὑπότεινε . .

iterum Terentius nomina propria Λοξίου et μυρρίνας vertit generaliter: *ara* et *verbenas*.

9. (= 47 K.).

⏓ – ⏑ οὕτως αὐτός ἐστιν – ⏑ –

Ter. Andr. v. 919, postquam Crito Simone et Chremete praesentibus enuntiavit Glycerium civem Atticam esse, hunc in modum rixantur:

Si. *sycophanta!* Cr. *hem!* Chr. *sic, Crito, est hic: mitte.*
Cr. *videat qui siet:*
si mihi perget quae volt dicere, ea quae non volt audiet.

ad verba *sic, Crito, est hic: mitte]* annotat Donatus:
(4) Menander: οὕτως αὐτός ἐστιν.

Buttmann οὕτως αὐτός ἐστιν mutari iubet in οὕτως οὗτος ἔστιν, sed nimis ille pressit vestigia Terenti, qui scripsit: *sic est . . hic.* immo omnia recte se habent, scilicet nobis discendum est poetam

sermonis cotidiani libertatem hoc loco imitari. non magis est inauditum Menandrum dicere οὕτως . . ἔστιν, pro quo exspectas τοιοῦτός ἐστιν, quam Terentium *sic* . . *est*, cum malis hoc: *talis* . . *est*. sed quo magis in verbis εἶναι et *esse* praedicaveris vim verbalem, eo minus iam offendes in adverbio apposito. quare verbo ἔστιν suum dedi accentum, ut subaudiam haec οὕτως . . ἔστιν (πεφυκώς); ut in Terentio *sic* . . *est (moratus)* subaudire mihi videor. — de verbo αὐτός pauca adicienda sunt. primum hoc vocabulum idem valet atque *ipse*, deinde coniunctum cum articulo *idem* est. tum „habet pronomen αὐτός etiam simpliciter vim pronominis relativi respondetque nostris encliticis *er sie es*. sed ea significatio tantum in obliquis casibus, nunquam in nominativo locum habet. nec tamen encliticon fit αὐτόν, ut in M 208 volebant grammatici" (G. Hermann in Vigeri d. idiotism. compendio pg. 734. 5 X). hactenus viri doctissimi verba. sed exstant satis multi loci, quibus nom. αὐτός idem valere atque *is* frustra negatur: Soph. Ai. 1283. αὐτός non est *ipse potissimum* (Ellendt αὐ. II), sed excipit illud οὗτος v. 1274. et quasi abundans accedit ad verbum ἦλθ' ἐναντίος, = *er*. [Aesch.] fr. 464,5 N. αὐτός excipit simpliciter deum, de cuius in varias formas sese mutandi facultate antea agitur: *auch Tieren wird er ähnlich*. Arist. equ. 1314 αὐτός excipit ὀξίνην Ὑπέρβολον v. 1304, abundat igitur iuxta πλείτω. eiusd. Acharn. 239. οὗτος αὐτός ἐστιν ὃν ζητοῦμεν: *is*, *quem* = *er* vel potius *der*, *den* . . Alcaei fr. 22 Kock (I 761): ὁδὶ γὰρ αὐτός ἐστιν: *dieser ist es*. maximi momenti autem sunt tres loci Menandrei: Epitr. 495. καὶ χρήσετ' αὐτή σοι τότ' ἠπίως, σὺ δὲ ταύτην ἀτιμάζεις, ubi αὐτή oppositum illi σύ tonum graviorem habet: *illa quidem* = *sie*. Sam. 42. 3 καὶ παρεξήλλαξέ τι | αὐτή „καλεῖ κτλ." Peric. 70 τοῦτο γάρ | ἐβούλετ' αὐτός. ultima duo exempla, in quibus veterem grammaticum secutus pronomina αὐτή et αὐτός fere enclitica possis appellare, valde nos commonent de Francogallorum quae vocatur *inversione*. his octo locis, qui sine dubio augeri possunt, perspicuum est pronomen αὐτός nec *ipse*[1]) nec *idem* valere, ex quo sequitur positum esse ut pronomen personale (= *er*, *sie*) i. e. maximam partem abundare. item in fragmento οὕτως αὐτὸς ἔστιν pronomen αὐτός fere abundat, οὕτως et ἔστιν tonum sententiae habent

[1]) nota pronomina a sententiarum initiis remota et illis verbis, quae habent totius sententiae tonum, encliticorum modo postposita esse.

(cf. Terenti arses *síc, Crito. ést hic*). — ad haec novem fragmenta accedit unum, cuius ipsa verba non servantur.

10. (= 46 K.).

(non paulum interesse) ex animo omnia,
ut fert natura facias, an de industria.

Ter. Andr. v. 794. 5. cum Mysis Chremete decepto Davum interrogavit, cur sibi non praedixisset se esse simulaturum, servus haec:

paulum interesse censes, ex animo omnia,
ut fert natura facias an de industria?

ad quae Donatus:

(3) *paulum interesse]* et haec sententia a Terentio ἐρωτηματικῶς prolata est, quam Menander ἐπιδεικτικῶς posuit.

horum decem quae tractavimus fragmentorum suus cuique constat locus intra fabulam Menandream; restat unum, cui nondum satis certe est repertus.

11. (= 48 K.).

τὸ δ' ἐρᾶν ἐπισκοτεῖ
ἅπασιν, ὡς ἔοικε, καὶ τοῖς εὐλόγοις
καὶ τοῖς κακῶς ἔχουσιν.

quae affert Stobaeus in flor. II. p. 462 H (II. p. 387 Mein.) sic: Μενάνδρου Ἀνδρία· κτλ., nisi quod libri exhibent εὐλόγως et καλῶς. sed iam pridem viderunt docti ob dichotomiam ἅπασιν, καὶ . . . καὶ verbum καλῶς post εὐλόγως corruptum esse mutandumque in κακῶς, quod primus fecit Clericus. pro εὐλόγως maluerunt Blaydes εὐπόρως (vix recte) et E. Hoffmann (Mus. Rhen. 41. 152) εὖ λόγῳ. ego codicum lectionem quam maxime secutus hoc volebam scribi: τοῖς εὐλόγοις. tum poeta post εὐλόγοις, nempe ne nimia uteretur acerbitate, contrarium ἀλόγοις evitavit κατ' εὐφημισμόν hoc modo: τοῖς κακῶς ἔχουσιν *(den Vernünftigen und auch denen, bei denen es in dieser Hinsicht schlecht stekt)*[1]).

quibuscum verbis Grauert (l. c. pg. 179) contulit Ter. Andr. v. 217. 8.

---

[1]) levissimam hanc permutationem litterae ω in οι iam a Meinekio (vol. IV. praef. LXXII) esse iussam postea demum vidi.

audíreque eórumst operae pretium audaciam:
nam inceptiost amentium, haud amantium.

quod quo iure fecerit, non potest intellegi. nam est τόπος de amoris potestate, qualem Kock recte affert Caecil. 259 ss. (R II 76): ⟨*profécto Amórem*⟩ *deum qui non summum putet*, eqs.; quem τόπον poeta Atticus, quem ille secutus est, repetiisse apparet ex Euripidis Auge, in qua fabula haec exstabant (= fr. 269 N):

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν κτλ.

eundem locum communem vides variatum in Herois Menandreae fragmento quodam (209 K.):

δέσποιν', Ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

sed in illis vv. Terentianis nihil eiusmodi potest inveniri. neque vero ullo altero fabulae loco fragmentum Menandreum recognosces, ut statuendum sit poetam, ut saepius fecit, omisisse longiorem sententiam philosopham. sed ubi in comoedia steterit, conicere licet. ἐπισκοτεῖν idem est atque *inumbrare*, i. e. aut *invisum facere* (velut fr. 485) aut *(mentem hominis) perturbare*. atqui Pamphilus, cuius de amore agitur, aliquando pro Glycerii vita timens

bene díssimulátum amorem et celatum

indicavit (Andr. 131 sqq.), scilicet amore incitatus. quibus narratis Pamphili pater, qui in Menandri Andria proloquebatur, facile poterat addere hanc sententiam:

τὸ δ' ἐρᾶν ἐπισκοτεῖ
ἅπασιν, ὡς ἔοικε, καὶ τοῖς εὐλόγοις
καὶ τοῖς κακῶς ἔχουσιν.

Menandri Andriae abiudicanda censeo haec duo fragmenta ab editoribus hucusque fabulae addicta:

[12. (= 39 K.).]

εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες.

Ter. Andr. vv. 406. 7. Davus de Simone nuptias fore simulaturo, cum prodit ille in scaenam, haec dicit:

venít meditátus alicunde ex solo loco:
orationem sperat invenisse se.

Donatus haec:
ex solo loco] solo: deserto, ubi meditari facilius possit: Menander εὑρετικὸν — αἴροντες.

simplici nota *Menander* pellectus hic quoque putaveris hoc fragmentum in illo Andriae Menandreae loco exstitisse, quem transtulit Terentius versu a Donato explicato. sed longe aliter res se habet. grammaticus id tantum in animo habet, ut probet primum *solum* locum esse *desertum* locum, tum autem hoc verbo significari Simonem solum secum aliquid meditari voluisse. quod confirmare conatur noto quodam dicto Menandreo, quod certe e florilegio citavit et de quo nemo nostrum potest conicere, in quanam poetae comoedia exstiterit. sed tantum mihi quidem videtur constare totam sententiam esse sumptam ex soliloquio quodam, et, ut sentire mihi videor, ex ipsius initio quidem; eo enim spectat totum eius ἦθος. nam nihil est certius hoc, verba

εὑρετικὸν εἶναί φασιν τὴν ἐρημίαν
οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες

dicta fuisse ad spectatores; cf. haec φιλοσοφούμενα spectatoribus in monologis declamata: Philem. fr. 71 K. οἱ φιλόσοφοι ζητοῦσιν . . . 6. ἐγὼ | νῦν εὗρον. Menand. fr. 460 οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες ὡς ἀβέλτεροι . . . Ennius in Telamone (316 ss. V.) profert δόγμα Ἐπικούρειον (Donat. ad Eun. 551), quod variavit Ter. Andr. 959. Pacuv. 366 ss. R. *fortunam insanam esse . . . perhibent philosophi*, 7. *sunt autem alii philosophi* . . . Turpil. 142 ss. R. *profecto . . ., ut philosophi aiunt isti, quibus quidvis sat est.* in his philosophatis haec quoque erat sententia: ἐπειδὴ χρείαν ἔχουσι τοῦ μονάζειν καὶ συνεχῶς, εἰς τὴν ἐρημίαν ἀναχωρεῖν,

ἧς χωρὶς οὐδὲν σεμνὸν ἐξευρίσκεται (adesp. 242 K.) κατὰ τὸν κωμικόν [1]) (Cornut. cap. 14). quare ubicumque solitudo quasi praesens laudatur, soliloquia habemus: Men. fr. 466 ὡς ἡδὺ τῷ μισοῦντι . . . ἐρημία. Amphidis fr. 17 (II 241): εἶτ' οὐχὶ χρυσοῦν ἐστι πρᾶγμ' ἐρημία; sequitur *inventum* aliquid. adespot. 104: ἐρημία μέν ἐστι . . . ἐγὼ . . ., ἄνδρες . . . nocte solitudo tamquam certior est quam interdiu vigilanti: Men.

[1]) Charitonides, qui in Mnemosyn. vol. 37 pg. 170 sq. scripsit *de figura κατ' ἐξοχήν*, duobus exemplis — tertium (1) est dubium — demonstrat τὸν κωμικόν esse Aristophanem; sed nego hoc loco figuram κατ' ἐξοχήν esse statuendam: δόγμα tam sententiosum Menandrum sapit.

fr. 164: ἆρ' ἐστι πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον[1]. fr. 739: ὦ νύξ . . . etiam Micionem Adelphorum (I 1) *curae somno segregant.* itaque ob certissimam solitudinem ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίνεται (monost. 150), qui v. factus est ex Epitreponton 35, quo loco Davus de se dicit:

ἐν νυκτὶ βουλὴν δ', ὅπερ ἅπασι γίνεται,
διδοὺς ἐμαυτῷ διελογιζόμην.

item referunt de suis monologis Moschio (Peric. 297) et Simo (Andr. 110), et directam quidem afferunt orationem. quo fit, ut solitudo commendanda sit ei, qui quaerit consilia, id quod fieri videmus Men. fr. 447: ἀπορῶν τι βούλευσαι κατὰ σαυτὸν γενόμενος. his de causis non dubito, quin verba fragmenti huius

εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες

in soliloquio quodam dicta fuerint ad spectatores. haec fere sequebantur: *quare ego quoque nunc in desertum me contuli, ut invenirem consilia* vel simile aliquid. cf. iuvenum amantium et servorum soliloquia apud Plautum:

Bacch. 385. *múltimodís meditatus egomet mecum sum et ita*
esse arbitror (scil. *postquam repperi*).
Most. 85. *recórdátus múltúm* ⟨*sum*⟩ *et díu cógitáví*
argúméntaque ín péctus ínstítui múltá
ego átque ín meó córde — síst quód mihí cór —
eám rém volútávi et díu dísputáví,
hominém quóius réí, quandó nátus éssét
similem ésse árbitrárér simulácrúmque[2]) *habéré:*
id répperí iam exémplúm.
Epid. 81. *íllc hinc ábiit: solus nunc es . . . Epidice*
100. *áliquid áliqua reperiundumst.*
Pseud. 394. *postquam íllc hinc ábiit, tu astas solus, Pseudole*
401. *sed quasi poeta* (scil. *in solo loco*)
quaerit quod nusquamst gentium, reperit tamen:
nunc ego poeta fiam.

---

[1]) haec Turpilius (50 ss. R.) in versione mutavit in dialogum; cf. Men. fr. 137 ὦ δυστυχής, τί οὐ καθεύδεις.

[2]) cf. Men. fr. 536 μὰ τὴν 'Αθηνᾶν, ἄνδρες, εἰκόν' οὐκ ἔχω | εὑρεῖν ὁμοίαν τῷ γεγονότι πράγματι, | ζητῶν πρὸς ἐμαυτόν, τί ταχέως ἀπολλύει. | στρόβιλος; κτλ.

ceterum servi fallaciam ficturi omnes qui adsunt a se solent abigere *(potin ut abeas?)*, ita ut remaneant soli in scaena. sed etiam apud Terentium talia inveniuntur Eun. 629:

dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias . . .
aliam rem ex alia cogitare et ea omnia in
peiorem partem.

probasse mihi videor fragmentum modo tractatum initium fuisse monologi cuiusdam Menandrei, quod Donatus attulit, ut solum locum ad inveniendum idoneum esse demonstraret.

[13. (= 50 K.).]

ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

est monostichon Menandreum 190, quod Suidas quoque pg. 1588 b affert adiciens haec: ἐπὶ τῶν μὴ κατὰ προαίρεσιν ζώντων. κέχρηται Πλάτων ἐν Ἱππίᾳ (μείζ. 301 c)· τοιαῦτα τὰ ἡμέτερά ἐστιν· „οὐχ οἷα βούλεταί τις", φασὶν ἄνθρωποι ἑκάστοτε παροιμιαζόμενοι, „ἀλλ' οἷα δύναται".

Ter. Andr. v. 805. Mysis a Critone de Archylidis eiusque familiae condicione interrogata respondet haec:

„ut químus" áiunt, quando „ut volumus" non licet.

cum hoc versu Meineke editiones Westerhovias secutus (Grauert pg. 185) comparavit monostichum s. c. sed iam videbimus hanc sententiam tam saepe esse variatam, ut difficile sit omisso fabulae nomine fragmentum Andriae Menandreae assignare. velut Donatus ad v. illum (805) haec annotat:

(4) Caecilius in Plocio (177 R):

vivás ut póssis, quando nec quis ut velis.

ex eadem Caecili fabula affert Nonius 97 (= 176 R) hunc v.

patiáre quód dant, quando optata non danunt.

Ter. Andr. v. 305. Burrhia Charino haec commendat:

quáeso edepól, Charine. quoniam non potest id fieri quod vis,
id velis quod possit.

Plaut. Most. 736:

nós profécto probe út vóluimús víximús.

versus Graeci comparandi sunt hi:

monost. 64: βουλόμεθα πλουτεῖν πάντες, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα.
monost. 236: θέλομεν καλῶς ζῆν πάντες, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα.

ergo cum perspicuum sit sententiam illam fuisse vulgatam ac tritam,

et quia in permultis Menandri comoediis fuerunt homines pauperculae condicionis, monostichum ad Andriam referendum esse non arbitror. nam quamquam ζῶμεν ad Mysidis responsum non male quadrat, tamen alia ex parte dicendum est coll. Terenti *aiunt* de Graeco φασίν[1]) licere cogitare: velut poterat:

οὐχ ὡς ἐθέλομεν, φασίν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

et Terentius ex ζῶμεν ut opinor fecisset versus clausulam *vivimus* aut *vivitur*:

ut quimus, hospes, haud ut volumus vivimus.

B. Perinthiae Menandreae fragmenta.

Meineke, Men. et Philem. pgg. 140—142; Grauert, analect. pgg. 187—192; Dziatzko, Mus. Rhen. 31 pgg. 248 sq.; Kock, com. Att. fr. III pgg. 112—114.

1. (= 397 K.).

οὐδεμίαν ἡ γραῦς ὅλως
κύλικα παρῆκεν, ἀλλὰ πίνει τὴν κύκλῳ.

Ter. Andr. v. 228 sqq. Mysis a domina ad Lesbiam obstetricem missa haec dicit:

aúdivi Árchylís iam dúdum: Lesbiam adduci iubes.
sane pol illa temulentast mulier et temeraria,
nec satis digna, quoi committas primo partu mulierem.
tamen eam adducam? inportunitatem spectate aniculae!
quia compotrix eius est . . .

huc referenda sunt Athenaei verba quae sequuntur (pg. 504a): (τὴν φιάλην) πᾶσι τοῖς φιλτάτοις ἔδωκε τῷ παιδὶ περισοβεῖν ἐν κύκλῳ κελεύσας, τὸ κύκλῳ πίνειν τοῦτ' εἶναι λέγων, παρατιθέμενος Μενάνδρου ἐκ Περινθίας· κτλ.

morem convivii usitatum commemorant velut Antiphanes fr. 237 K. (II 115): χρυσοκόλλητος δέπας | μεστόν, κύκλῳ χορεῦον. Euripid. fr. 468 N: κύλικος ἑρπούσης κύκλῳ. Nonn. Dion. XIII 264: γεύσαντο παλιννόστοιο κυπέλλου. — hic facetiae positae sunt in eo, quod anus sola apud se bibit totidem, quot in conviviis a multis consumitur.

[1]) quod idem videmus in proverbio (Men. fr. 514) et in proverbiali dictione (Epitr. 223) adhibitum.

nam ibi alius alii calicem tradit, postquam ipse bibit, anus autem neminem habet, cui committat calicem ideoque, ut poeta iculariter dicit, ipsa secum bibit τὴν κύκλῳ πόσιν. apud Menandrum quoque ancilla matronae dissuasit, ne Lesbiam obstetricem arcesseret de temulentia eius monens. minime autem cum Koertio (Herm. v. 44, 312) debet conici illam re vera temulentam in scaenam prodiisse in Perinthia, et in puerperae domo omnia perturbasse. quod nullum habuisset sal, nec fieri licebat, si poeta amantium filiolum feliciter in lucem prodeuntem volebat fingere, quod facere debebat.

2. (= 398 K.).

τὸ παιδίον δ' εἰσῆλθεν ἑψητοὺς φέρων.

Ter. Andr. v. 368.9. Davus Pamphilo de nuptiis male timenti narrat, quae ante Chremetis domum observaverit:

étiam púerum inde ábiens conveni Chremis
hólera et písciculos minutos férre obolo in cenam seni.

Graeca servavit Athenaeus (pg. 301 b) πληθυντικῶς δὲ λέγουσιν ἑψητοὺς (τὰ λεπτὰ ἰχθύδια) κατὰ τὸ πλεῖστον . . . Μένανδρος Περινθίᾳ· κτλ. paulo ante attulit Ar. fr. 52. 282 K. (I 405. 464), quibus adde eiusd. vesp. v. 679.

his duobus fragmentis certi quidam Andriae Terentianae loci respondent: reliquis octo aut non plane concinunt aut nondum sunt inventi.

3. (= 393 K.).

ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅ τι
οὗτος μεγαλεῖόν ἐστι διαπεπραγμένος,
ἐπαβελτερώσας τὸν πάλαι γ' ἀβέλτερον.

afferunt Photius Berolin. (pg. 5) s. v. ἀβέλτερος· ὁ ἀνόητος, ὁ τὸ βέλτιον μὴ γινώσκων. Μένανδρος Περινθίᾳ· κτλ. et Suidas s. v. eadem. — 4. πάλαι Phot., ποτε Suid.; γ' inseruit Reitzenstein. verba sunt Davi, principis Perinthiae servi, ut apparet e proximi fragmenti (4) vv. 13. 14.

4. (= Oxyrrh. Pap. VI p. 150).

(cf. Leo, Herm. v. 44, 143; Koerte, Menandrea[2].)

Personae.

Laches senex (10. 20)
Davus servus (13)
Tibēus (3) }
Geta (3. 4) } lorarii
Pyrrhias (8) }

(Λα.) [Τίβειε καὶ Γέτα
φυλάττετ' αὐτόν]· σὺ δ' ἀκολούθει [Πυρρία.
(Δα.) ἀλλ' οὐχ ἕκ]ας ἔξεισιν φέρων τὸ πύρ[δανον
καὶ πῦρ· πρόδηλον. ὦ Τίβειε καὶ Γέτα
ἔπειτα κατακαύσει μ'. ἀφείητ' ἂν Γέτα
σύνδουλον ὄντα καὶ διασώσαντ' . . . (Τίβ. Γέτ.) οὐ πάνυ.
(Δα.) οὐκ] ἄν μ' ἀφείητ', ἀλλὰ περιόψεσθέ με;
ὡδὶ] πρὸς ἀλλήλους ἔχομεν; προσέρχεται
ὁ Πυρ]ρίας ὅσον γε φορτίον φέρων.
ἀπόλωλα· καὶ δᾶιδ' αὐτὸς ἡμμένην ἔχων
Λάχης ἀκ]ολουθεῖ. Λάχ. περίθετ' ἐν κύκλωι ταχύ.
νυνί γ' ἐπ]ίδειξαι Δᾶε τὴν πανουργίαν
τέχνην τίν' εὑρὼν διαφυγών τ' ἐνθένδε με.
(Δα.) τέχνην ἐγώ; (Λα.) ναὶ Δᾶε τὸ μὲν ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾶν γάρ ἐστι δεσπότην
φλύαρος. (Δα.) ἠήν. (Λα.) εἰ δέ τις τὴν τῶν φρενῶν
στακτὴν — ἐκνίσθης; (Δα.) οὐχὶ πρὸς σοῦ δεσπότα.
(Λα.) ὁ μὲν πονηρός, ὁ θρασὺς ἐνθάδ' ἀρτίως
κατὰ τῶν σκελῶν· τὴν κληρονομίαν φιλτατο[
π]οδων. (Δα.) ἔξειν χάριν
ᾤμην φρενουμένου]ς ὑφ' ἡμῶν. Λάχ. κάετε
(. . . ίας) ἀρτί]ως ἀφίκετο
φερόμενος γὰρ κἂν κύκλῳ
ρτων τ' ἐστὶ τό

argumentum hoc est:

Davus, primus Perinthiae servus, Lachetem erum aliquo modo fallaciis decepit, tum poenam timens occupavit aram Apollinis Loxiae, unde dominus *vi Volcani* eum depulsurus est. hinc incipit charta.

v. 1. initium quaeque praecesserunt supplevit Leo sic: Τίβειε καὶ Γέτα | φυλάττετ' αὐτόν, coll. Arist. Thesm. vv. 652. 763. 932. is servus, qui una cum Lachete domum intrat, ut sarmenta apportet,

est Πυῤῥίας, qui v. 8 exit e domo ὅσον γε φορτίον φέρων. fortasse in charta, ubi in fine v. septem litteras interiisse edd. indicant, nominativus Πυῤῥίας falso scriptus erat pro vocativo Πυῤῥία.

v. 2 sq. πρόδηλον interpunctionis notis a seliquis verbis secludendum est; cf. Arist. Lys. 756 περιφανῆ τὰ πράγματα. 919 δήλη 'στὶν καλῶς, praeterea dictionem Plautinam *res palamst*, velut Mostell. 1068 paulo ante scaenam similem. ex quo sequitur id quod iam Leo l. c. dixit: *die Worte* ἔξεισιν — πῦρ *sind grammatisch nicht zu trennen*, ergo e verbo φέρων duo tantum nomina τὸ πύρδανον καὶ πῦρ possunt pendere. iam in initio v. 2 lacuna septem litterarum . . . . . .]ας explenda est. de tertio nomine non est cogitandum, ut modo dixi, neque magis de verbo quale ἀπόλωλ]ας, quod proposuit Leo. immo valde desideratur temporalis aliqua determinatio, ne nimis abrupte incipiat Davus ἔξεισιν φέρων κτλ. nam haec fere secum agit: *nunc dominus domum intrat* (σὺ δ' ἀκολούθει II, v. 1); *verum mox egredietur; tum* (ἔπειτα, v. 4) *me comburet. quare festinationem res flagitat.* his rationibus adductus Davum fingo τραγικώτερον incipientem sic: ἀλλ' οὐχ ἕκ]ας ἔξεισιν φέρων τὸ πύρδανον. adverbio ἕκας etiam temporali utuntur, velut Herod. 8, 143: οὐχ ἕκας χρόνου παρέσται ὁ βάρβαρος, et Aesch. Ag. 1620 K.: τοὔργον οὐχ ἑκὰς τόδε (*wir schreiten gleich zur Tat*, Wil.). particula ἀλλά Davus respicit ad Lachetis verba, quibus domum intraturum se significat: *at non intus manebit, sed* (ἀλλά) *reveniet.* simillime Epitr. 136: κρῖνον ὅ τι δίκαιον νενόμικας. Σμικρ. *(at haec non difficilia)*, ἀλλ' εὔκριτ' ἐστι.

v. 4. ad κατακαύσει cf. Ar. Lys. 1218. — ἀφείητ' ἂν Γέτα nota illa Attici sermonis libertate dicitur, qua et numerus et personae mutantur: Epitr. 20: ἐμμενεῖτ' οὖν, εἰπέ μοι, οἷς ἂν δικάσω; Sam. 37: λούσατ' ὦ τάλαν τὸ παιδίον. — Ar. Lys. 1166: ἄφετ' ὠγάθ' αὐτοῖς. 1172: ἐᾶτε, μηδὲν διαφέρου. — Men. Sam. 106: ἱμάντα παῖδές τις δότω. Ar. Thesm. 272: ἄκουε πᾶσα.

v. 5. ὄντα ad σύνδουλον abundanter appositum, ut saepius: Men. fr. 51: τὰ προσπεσόντα προσδοκᾶν ἅπαντα δεῖ
ἄνθρωπον ὄντα.
monost. 1: ἄνθρωπον ὄντα δεῖ φρονεῖν τἀνθρώπινα.
monost. 58: βιῶν' ἀλύπως θνητὸν ὄντ' οὐ ῥᾴδιον.
Davus conservos de sodalitate admonet gratiamque repetit priorum

beneficiorum, quae certe nunquam fuerunt; sed frustra est, nam οὐ πάνυ lorarii. quod iam expleverunt editores papyri, sed non lorariis haec verba dant, sed Davo iterum interroganti sic: οὐ πάνυ [νῦν] ἄν μ' ἀφείητ', ἀλλὰ περιόψεσθέ με; multo verisimilius Leo scribit οὐκ] ἄν μ' ἀφείητ', ἀλλὰ περιόψεσθέ με; neque enim perspicuum est, quid hic sibi velit νῦν. Leo v. 5 cogitur scribere [ε]ὖ πάνυ, scil. διασώσαντα, qui πλεονασμός quadruplex mihi quidem a Menandri ratione dicendi videtur alienus esse. — mea sententia haec est: utroque loco οὐ (vel οὐκ) supplendum est simulque statuendum hic diverbium nos habere. Davus primo sic petit: ἀφείητ' ἄν Γέτα σύνδουλον ὄντα καὶ διασώσαντ'.., i. e. positive. quem acerba voce interrumpit alter lorarius: οὐ πάνυ[1]) (sc. ἀφήσομέν σε), quo audito Davus iterum quaerit, sed nunc excepta negatione: οὐκ ἄν μ' ἀφείητ', ἀλλὰ κτλ., i. e. **negative**.

v. 7. egregie Leo [οὕτω] πρὸς ἀλλήλους ἔχομεν; quia spatium quattuor litteris οὕτω vix sufficere adnotant Grenfell et Hunt, ego scripsi [ὡδὶ]; quorum alterutrum necessario in lacuna stetit. — ad ἔχομεν cf. Lysippi fr. 1 K. (I 700) πῶς ἔχομεν;

v. 10. Laches: περίθετ' ἐν κύκλῳ ταχύ. quae iubet circumici, τὰ ξύλα, haec nominare non debuit poeta, quia spectatores videbant in scaena: cf. Alexid. fr. 173, 12 K. (II 362) παῖδες παράγετε Sam. 80 πάρ. εἴσω (= *vos istaec intro auferte*, Ter. Andr. 28).

v. 11. initium Leo sic supplevit: [νυνί γ' ἐπ]ίδειξαι Δᾶε τὴν πανουργίαν, et optime quidem, quo contradictio informetur accuratius: *prius eras magniloquus, **nunc quidem** ostende astutiam tuam.* cf. servos Plautinos sese adhortantes:

As. 249. *hércle véro, Libane, **nunc** te meliust expergiscier . . .*
Epid. 162. *nón enim **núnc** tibi dormitandi neque cunctandi copiast.*
Mil. 1153. ***núnc** quom máxumé | ópust dolís.*
Most. 1068. *rés palámst: **nunc** te videre meliust, quid agas, Tranio.*

vv. 13—15. Laches haec:

νὴ Δᾶε τὸ μὲν ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾶν γάρ ἐστι δεσπότην·
φλύαρος,

[1]) solo οὐ saepius respondetur, velut in Pherecr. fr. 82 (I 168), Alexid. 221,7, Sosipatr. 1,21 (III 315); in Peric. v. 119 fine restituit Wil. — ceterum cf. tria verba lorariorum in Pl. Pseud. 159.

quibus auditis servus valde perterritus ἤν exclamat. hic Lachetem servi sui verba, quae antea illi insidiatus audivit, εἰρωνικῶς repetere luce est clarius, si respicis ad Perinthiae fragmentum 3.

ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅ τι
οὗτος μεγαλεῖόν ἐστι διαπεπραγμένος,
ἐπαβελτερώσας τὸν πάλαι γ' ἀβέλτερον.

hac verborum congruentia nixi Grenfell et Hunt dubitanter, post eos Koerte (im Herm. vol. 44, 309) fortius chartam Perinthiae Menandreae addixerunt. quin hoc recte factum sit dubitare prorsus non licet. nam quamvis hoc concedendum sit Leoni (in Herm. vol. 44, 143) verborum congruentia non demonstrari fragmenta eiusdem esse poetae, quid sibi vult καὶ Δᾶε (v. 13), quid, quaeso, γάρ (v. 14)? quibus, ni fallor, probat dominus se nunc techinam postulare a servo, quippe qui paulo ante nihil facilius esse contenderit quam fallere erum. — huc accedit alterum: iam Grauert aliique post eum suspicati sunt fragmenti 3. verba intra fabulam continuata fuisse alteris (fortasse 4) versibus, quibus servus praedicabat, quis re vera μεγαλεῖον esset διαπεπραγμένος. quae coniectura satis elegans nunc pulcherimme comprobatur charta. nam postquam Laches verbis: καὶ Δᾶε τὸ μὲν ἀπράγμονα | καὶ κοῦφον ἐξαπατᾶν γάρ ἐστι δεσπότην | φλύαρος respexit ad priores quattuor Davi versus (= fr. 3), iam pergit sic:

v. 15 sq. εἰ δέ τις τὴν τῶν φρενῶν | στακτὴν ἐκνίσθης: his verbis particula adversativa δέ inductis procul dubio senex respicit ad alteros illos versus, quibus fr. 3. continuatum fuisse docti coniecerunt. atque tam rara verba, qualia hic videmus τὴν τῶν φρενῶν στακτήν a Lachete non esse inventa, sed ipsa quoque illinc a Davi soliloquio esse repetita, hoc putare e re nata cogimur. hinc pedetemptim licet procedere. post verba εἰ δέ τις τὴν τῶν φρενῶν στακτήν senex coepta sententia non ad finem perducta subito tacet, quae sermonis pausa in charta quoque punctis geminatis fortius indicatur. quid id fuerit, quo Lachetis animus adeo abstrahitur, ut etiam verba sua omittat, comperimus e v. 18, ubi de servo haec dicit: ὁ θρασὺς ἐνθάδ' ἀρτίως | κατὰ τῶν σκελῶν. atque iurgium Aristophaneum ὁ κατὰ τῶν σκελῶν (Pac. 240) explicatur ut συμβολικὸν ἀπὸ τῶν διὰ δειλίαν ἀποτιλώντων, in quo scholiastam necesse

est respexisse ad tales locos, qualis est hic. Davo igitur humanum aliquid accidisse statuendum est, quod dominus persentiscit inter verba σταχτήν et ἐκνίσθης, quo loco et papyri scribarius graviter distinxit. ex quo sequitur id verbum, quod Laches primum pronuntiat, ubi ex admiratione animum recepit, referendum esse ad illa timoris testimonia, neque minus servi responsum. quodsi dominus quaerit ἐκνίσθης; — et interrogationis quidem notam omnes editores posuerunt — id nihil aliud potest valere atque hoc: *ideone tu haec effudisti, quod* ἐκνίσθης? vel: *tune ab aliquo* ἐκνίσθης *ita, ut haec effunderes?* verbo κνίζειν igitur significatur actio quaedam, qua efficitur, ut aliquid effundatur vel defluat, scil. ex vulneratione. atque idem valet atque *scalpere, ritzen.* velut apud Herodam (IV 59) de signo picto dicuntur haec:

τὸν παῖδα δὴ τὸν γυμνὸν ἢν κνίσω τοῦτον,
οὐχ ἕλκος ἕξει Κύννα; (i. e. *si ungue scalpsero*).

Aristophanes vesp. v. 1286 de se ipso ilocaliter confitetur:

καὶ (Κλέων) με κακίαις ἔκνισε· κᾆθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην . . .

h. e. quasi victimae sibi corium primo *scalptum*, postea *detractum* esse. sed etiam plantae scalpendo possunt vulnerari, ut effundant aut sucum aut resinam. itaque κνίζειν etiam vox κηπευτική facta est, qua significatur actio incidendi arbores frutices fructus, quorum e suco defluente (= δάκρυον ἀπ' ἐντομῆς, Theophr.) aliquid fabricabantur veteres; cf. Athen. 51b: ἅπερ (τὰ συκάμινα) οἱ ἐπιχώριοι ἐπὶ βραχὺ κνίσαντες σιδηρίῳ ἐῶσιν ἐπὶ τοῦ φυτοῦ κτλ. et Etymol. m. 522, 25 s. v. κνίζω] συκάμινα κνίζειν· τουτέστι τῷ ὄνυχι (ferreo scil. instrumento praeacuto) διακαθαίρειν. nunc tempus est ad chartam respicere: εἰ δέ τις τὴν τῶν φρενῶν | σταχτὴν: ἐκνίσθης; nonne apertum est hic verba σταχτήν et ἐκνίσθης aliquo modo inter se cohaerere? nam σταχτή derivatum a verbo στάζω (cf. Ar. Plut. 529) est murrarum δάκρυον ἀπ' ἐντομῆς, quod defluit, ubi frutex ἐκνίσθη. atque iam perlucent Lachetis facetiae: qui primo repetiturus est servi sententiam illum revera μεγαλεῖον perfecisse, qui mentis suae stacta quamvis detracta tamen erum decepisset[1]). sed non ad finem pervenit; ubi σταχτήν dixit, servus se concacat. tum senex inspiciens

[1]) [ἀλλ' εἴ τις ὑπὸ τοῦ δεσπότου τὴν τῶν φρενῶν | σταχτὴν ἐκνίσθη καὐτὸν ἠπάτησ' ὅμως, | τοῦτόν γ' ἀληθῶς οἶμ' ἀριστεῦσαι δόλοις· | τὸν ἰσούμενον γὰρ ὑπερέβαλε πανουργίᾳ.]

τὰ πρὸς ποδῶν subito ioco quaerit: ἐκνίσθης (sc. τὴν τῶν φρενῶν στρακτήν); i. e. *scalpebarisne? detrahebatur tibi mentis stacta? haecine est mentis tuae stacta? (ist dies die „Crème des Verstandes", die dir abgezapft wurde?)*. ad haec servus respondet: οὐχὶ πρὸς σοῦ δεσπότα (sc. ἐκνίσθην), i. e. *tu quidem hanc mentis stactam mihi non detraxisti scalpendo*; quod secundum illa verba fragmenti 3. fere idem valere potest atque hoc: *tu igitur es dominus* κοῦφος καὶ ἀπράγμων. quae servi insolentia quamquam repugnare videtur illi κατὰ τῶν σκελῶν, tamen optime concinit cum aliorum servorum in tali condicione audacia, velut Tranionis in Mostellaria v. 1094 sq. sed alterum quoque praeter hunc iocum in senis quaestione servique responso abscondidit poeta[1]). nam verba κνίζω κνάω κνήθω fuerunt etiam ὀνόματα ἐρωτικά[2]). Davus igitur senis quaestionem ἐκνίσθης; sic intellegit: *scalpebarisne (ea corporis parte, qua effudisti mentis tuae resinam?)* h. e. ἐκνίσθης τὴν πυγήν[3]); et respondet ἀμφιβόλως: οὐχὶ πρὸς σοῦ δεσπότα, gestibus ut opinor ambiguitatem significans. talibus ambiguis vocibus in obscenam partem acceptis abundat comoedia; velut in Aul. v. 283 sqq. legimus haec:

> *mequidem hércle, dícam, ⟨pro⟩palam non divides;*
> *si quo tu totum me ire vis, operam dabo. ≠*
> *bellum et pudicum vero prostibulum popli:*
> *post si quis vellet, te haud non velles dividi.*

v. 637. *póne. ≠ idquídem pol té datáre credo consuetum, senex.*

Poen. 611 sq. *póne nós recede. ≠ fiat. ≠ nos priores ibimus. ≠*
faciunt scurrae quod consuerunt: pone sese homines locant.

cf. Ar. Thesm. 49. 50: μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων,
πρόμος ἡμέτερος . . . ≠ μῶν βινεῖσθαι.

v. 20. ut Davum comburi iubeat, ad hoc Laches adducitur

---

[1]) facetias sic geminatas comoediae saepius praebent; cf. Ar. Lys. 158 κύνα δέρειν δεδαρμένην.

[2]) Suidas et Etymol. m. s. v. συκοφαντεῖν· οἷον κνίζειν ἐρωτικῶς. οὕτω Πλάτων καὶ Μένανδρος (1071 K.). cf. Machon. ap. Athen. 577 e:

> ἡ Λαμία δ' ἦν αὐλητρίς, ἧς σφόδρ' ἡδέως
> σχεῖν φασι κνησθῆναί τε τὸν Δημήτριον.

[3]) cf. Pomponi vv. 75. 6 R (e *Macco virgine*):

> *praeteriens vidit Dossennum in ludo rererecunditer*
> *non docentem condiscipulum, verum scalpentem natis.*

audaciore ut videtur servi responso, quod Leo valde probabiliter informavit: ἕξειν χάριν [ᾤιμην φρενουμένου]ς ὑφ' ἡμῶν.

v. 21. scripsi: ἀρτί]ως ἀφίκετο, hospes scil. ille Perinthius (*Crito* Terentianus), quem puellam heredii[1]) alicuius causa quaesivisse suspicamur, ex quo heredio altera debebat pendere quaestio de libera puellae origine. — hospitis adventum docti putant nuntiatum esse a Pyrrhia; sed in personae nota Πυρρ]ίας exstitisse non credo, quia ille inde a v. 1 a Lachetis latere non secessit nec quicquam potest scire, quin senex quoque sciat; praeterea lorarii non solent nuntios afferre. equidem confido erilem filium ipsum (vix quendam eius sodalem, ut in Mostell.) id nuntiasse et servum summo e periculo liberasse. nam iuvenum nomina compluria exeunt in -ίας, velut Terentiana Κλεινίας Φαιδρίας Φειδίας alia.

5. (= 395 K.).

ὅσ' ἔστι μαλακὰ συλλαβὼν
ἐκ τῆς πόλεως τὸ σύνολον ἐκπήδα φίλος
θᾶττον.

servantur apud Pollucem 10,12: ἐκαλεῖτο δὲ ταῦτα (τὰ σκεύη) ὑπὸ τῶν νεωτέρων καὶ μαλακά, οἷον εὐμεταχείριστα, ὡς εἶπε Μένανδρος ἐν τῇ Περινθίᾳ. — ὅσ' ἔστι μαλακά Bentley restituit e codd. ὅ ἐστι μαλακόν. φίλος exhibet C, θᾶττον P; quae coniungenda; nam verbum θᾶττον non raro postponitur suo imperativo cum vi quadam impellendi: Eubuli fr. 100 (II 199) λῦε τἀλαβάστια | θᾶττον σὺ καὶ ...; Cratini 123 (I 52) οὐκ ἀπερρήσεις σὺ θᾶττον; Men. Sam. 334 οὐκ εἰσδραμὼν | θᾶττον ἐξοίσεις ἅ φημι;

sine dubio hic agitur de amatore quodam infortunato, sive ipse ducturus est mulierem sibi invisam (ut *Pamphilus* Terentianus), sive ab alio iuvene privabitur amica (ut *Charinus* eiusdem fabulae). verum multo maioris momenti esse mihi videtur hoc: omnia illa verba amicus dicit amico, quia tale consilium in neminem cadit nisi in iuvenem. atque totius fragmenti ἦθος plane idem est ac scaenarum a Philumenae amatore et sponso actarum; cf. quae Pamphilus Charino auxilium consiliumque petenti respondet (Andr. 320):

néque pol cónsili locum habeo neque ad auxilium copiam

et quae dicit Charinus (322. 327 sq.):

[1]) Perinth. 18; Ter. Andr. 815.

si id facis, hodie postremum me vides.
séd si id nón potést,
áut tibi núptiae háec sunt córdi, . . . sáltem aliquót diés
prófer, dúm proficíscar áliquo, né videám[1]).

quae cum ita sint, apparet in Perinthia Menandrea duos fuisse adulescentes nuptiis quibusdam miseros factos[2]). hoc non alienum fuisse a Menandri consuetudine demonstratur velut fr. 885 ἐγάμησεν ἣν ἐβουλόμην ἐγώ, quae verba facile in Perinthia possunt locum habuisse (cf. Charini monologum Andr. 625—640), etsi hoc nolo contendere.

6. (= 394 K.).

οὐπώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρόν·
εἰς τὸν ἴσον ὄγκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ.

Stobaeus flor. 123,2: Μενάνδρου Περινθίας· κτλ. — v. 1 est monostich. 411. initium est commune cum fr. 624.

οὐπώποτ' ἐζήλωσα πλουτοῦντα σφόδρα
ἄνθρωπον ἀπολαύοντα μηδὲν ὧν ἔχει.

εἰς τὸν ἴσον ὄγκον dictum ἀπροσδοκήτως (cf. Hesych. s. v. III 176 φύσημα. ὑπερηφανία. ἔπαρσις. μέγεθος): immo ad eandem exiguitatem redigimur. — in tota Terenti Andria unus tantum locus mihi notus est, ad quem illa verba possunt referri. vv. 106 sqq. Sosiae liberto Simo narrat de Chrysides meretricis funere, quem ad modum filius suus illiusque amatores curarint, atque ex tota descriptione colligimus id non ita fuisse mediocre. ad haec, cum absit assentandi occasio, libertus nihil addit. in Perinthia autem Menandri liberti partes attributas fuisse scimus uxori senis[3]). quam probabile est coniugi in funere describendo nimis sibi indulgenti verbis illis suam opposuisse voluntatem modestiorem nihil referre, utrum magnis quis efferatur an parvis honoribus.

---

[1]) cf. verba Charini Mercatoris (v. 644):
nón possúm durare: certumst exulatum hinc ire me.

[2]) Dindorf-Didot: *dubium Charino haec an Pamphilo Terentiano dicantur.* recte; alter dicit alteri, tantum constat.

[3]) Don. ad. Andr. v. 14.

7. (= 396 K.).

ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν εἰσι πομπεῖαί τινες
σφόδρα λοίδοροι.

Harpocratio, Photius, Suidas haec: πομπείας καὶ πομπεύειν· ἀντὶ τοῦ λοιδορίας καὶ λοιδορεῖν. Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος (§ 11). ἡ μεταφορὰ δὲ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς Διονυσιακαῖς πομπαῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν λοιδορουμένων ἀλλήλοις· Μένανδρος Περινθίᾳ· κτλ. — recte videtur sensisse Grauert, cum dicit (pg. 191) illis hospitem Perinthium senis dicteria referre (cf. Andr. 919—921).

8. (= 399 K.).

οὐδ' αὐτός εἰμι σὺν θεοῖς ὑπόξυλος.

haec exhibet Maximus Planudes in Hermog. (Rhet. Graec. V 486): ὑπόξυλα κυρίως καλεῖται τὰ ἀγάλματα, οἷς ἐκ ξύλων κατασκευασμένοις ἐπιπολῆς ἐπελήλαται ἄργυρος ἢ χρυσός· κεῖται δ' ἐπὶ τῶν λαμπρῶν μὲν ἔξωθεν καὶ ἐπιεικῶν, πονηρῶν δὲ τὰ ἔνδον. καὶ Μένανδρος ἐν τῇ Περινθίᾳ φησίν· κτλ. — etiam hoc fr. ad Critonis Simonisque altercationem (Andr. V 4) esse referendum non exigua cum probabilitate disseruit Grauert.

9. (= 400 K.).

τὰ δ' ἄλλ' ἀνέπαφα σώματ' οὐδὲ ληπτέα.

affert Suidas p. 346 a ἀνέπαφον· ἀνεύθυνον, καθαρόν, ἀθιγές, ἀψηλάφητον. Μένανδρος Περινθίᾳ· κτλ. codd. οὐδέλη, quod correxit Mein. e Bekk. anecdot. 203,26: ἀνέπαφα· τὰ ἀνεπίληπτα . . . τὰ δ' ἄλλ' . . . metri causa dictum pro τἆλλα δὲ . . .: *ceterum sunt* . . . σῶμα est λέξις νομική (= *Person*): CIG 1704 ἀπέδοτο Σώτας . . . τῷ Ἀπόλλωνι . . . σῶμα ἀνδρεῖον . . . ἐφ' ᾧ τε ἐλεύθερος εἶναι καὶ ἀνέφαπτος . . . εἰ δέ τις ἅπτοιτο Σατύρου, βέβαιον παρεχέτω τῷ θεῷ τὰν ὠνάν. Epitr. 100. 1 μηδὲ ἕν | εὕρισχ' ὅπου πρόσεστι σῶμ' ἀδικούμενον (= *die geschädigte Person*). — de fragmenti Menandrei intra Perinthiam loco prorsus nihil constat.

10. (= 401 K.).

(Αἰάντειος γέλως.)

Milleri mél. pg. 355 ξ' (= Zenob. I 60): Αἰάντειος γέλως· μέμνηται ταύτης Μένανδρος ἐν Περινθίᾳ τῇ πρώτῃ· λέγουσι δὲ ὅτι Πλεισθένης

ὁ ὑποκριτὴς τὸν Καρκίνου Αἴαντα ὑποκρινόμενος εὐκαίρως ἐγέλασε· τοῦ γὰρ Ὀδυσσέως εἰπόντος, ὅτι τὰ δίκαια χρῆ ποιεῖν, μετὰ εἰρωνείας ὁ Αἴας τῷ γέλωτι ἐχρήσατο. ad haec ed. nota 6 annotat: *On ne connaissait qu'une seule pièce de ce nom, attribuée à Ménandre. nous apprenons ici, qu'il a fait jouer deux fois sa* Περινθία, *avec des modifications, de même que quelques autres pièces.*

C. Epilogus.

de fabularum Menandrearum forma haec testimonia sunt afferenda:

1. Donat. a Andr. 10. *utramvis]* prima scaena Perinthiae fere isdem verbis quibus Andria scripta est, cetera dissimilia sunt exceptis duobus locis altero ad versus XI, altero ad XX, qui in utraque fabula positi sunt.
2. id. a. Andr. 14. *fatetur transtulisse]* sed quare ergo se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? sic solvitur: quia conscius sibi est primam scaenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto. at in Andria Menandri solus est senex.
3. id. a. Andr. 301. (2) *quid ais, Burrhia]* has personas (Charini Burrhiaeque) Terentius addidit fabulae — nam non sunt apud Menandrum — ne ἀπίθανον[1]) fieret Philumenam spretam relinquere sanctam sine sponso[2]), Pamphilo aliam ducente.
4. id. a. Andr. 959. *ego deorum]* hanc sententiam totam de Menandri Eunucho (551 sqq.) transtulit; cf. infra pg. 38 sq.

Andriae Menandreae ut videtur fuerunt hae decem personae, quas videmus apud Terentium:

1. senex I (*Simo*): fr. 1.
2. servus (*Davus*): fr. 6. 7. 8. 10.
3. ancilla (*Mysis*): (fr. 8).
4. adulescens (*Pamphilus*).

---

[1]) cod. ΟΠΙΘΕΛΤΟΝ; cf. eund. a. Andr. 447 *subtristis*] mire servatum est in adulescente libero τὸ πρέπον et in amatore τὸ πιθανόν (ΤΟΠΤΕ non: A; ΤΦΠΙΘ non: B). πιθανόν est *credibile*, ἀπίθανον id quod nemo credit aut probat, neque fieri decet (*ungehörig*): saepe in scholiis Graecis: πλάσμα ἀπίθανον, velut in Aiacis Sophocleae hypothesi: ἀπίθανον γὰρ τὸν Αἴαντα προϊόντα εἰπεῖν περὶ τῶν ἑαυτῷ πεπραγμένων. de prioribus conaminibus refert Schoell in libello qui inscribitur: *Menanders Perinthia in der Andria des Terenz* pg. 12.

[2]) cod. *sanc ti s. s.* ἁγνὴ γάμων Epitr. 223.

5. obstetrix (*Lesbia*): fr. 3. 4.
6. mulier (*Glycerium*): fr. 2.
7. senex II (*Chremes*): fr. 5. 9.
8. senex III (*Crito*): (fr. 9).
9. lorarius (*Dromo*).
10. matrona (*Archylis*) κωφὸν πρ.

Sosiae liberti persona *protatica* (Don. a. Andr. 28) aberat a fabula Menandrea (test. 2), neque secus Charini Burrhiaeque personae (test. 3); hoc enim valent verba: *T. addidit fabulae.* cuinam? Andriae. ergo non inerant in Menandri Andria, quod idem scholiasta expressit sic: *nam non sunt apud Menandrum* (scil. *in Andria*). — libertum cocum Terentius e Perinthia non poterat repetere (test. 2); unde autem sumptus sit, grammaticus silet, aut quia fabulam illam non cognoverat aut iam nequibat inspicere, erat autem poetae cuiusdam Menandro prioris, cuius ex illa scaena, qua usus est Terentius, unum servatur fragmentum (adesp. 210 K.): Arist. soph. elench. 4, 7 ὁ γὰρ αὐτὸς λόγος διῃρημένος καὶ συγκείμενος οὐκ ἀεὶ ταὐτὸ σημαίνειν ἂν δόξειεν, οἷον·

ἐγώ σ' ἔθηκα δοῦλον ὄντ' ἐλεύθερον[1]).

sunt verba Simonis (Andr. 37):

. . . *féci ex sérvo ut ésses libertus mihi.*

quae certe ibi quoque exstiterunt in prima scaena prologi vicaria, qua senex et servus colloquentes aperiebant fabulae argumentum, id quod fieri videmus in Pluti Aristophaneae prima scaena, ex quo pendent exemplo posteriores cuncti (cf. Leo, quaest. Plaut.² 196,1); ita fit, ut harum duarum scaenarum quamvis diversarum tamen nonnullae similitudines pelluceant. nam primum hic et illic servi laudantur, priusquam arcanum eis committitur (*proptérea quód servibas liberaliter:* τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν | πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ — κλεπτίστατον); dehinc servis omnia narrabuntur (*rem omnem a principio audies:* ἀλλ' οὔ σε κρύψω); inanes servorum assentatiunculae senum narrationibus intermiscentur (*itast — teneo:* οἶδά τοι — πείθομαι); summam narrationis servi quaestionibus cupiunt praeripere (*quor simulas igitur? — quid obstat, quor non verae fiant?*: τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων; — καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ); quas quaestiones audaciores cum gravitate refellunt senes (*audies — scies:* πεύσει). quae

[1]) tragici est v. arbitrio Wilamowitzii.

igitur in prima Andriae scaena ad senis cum servo dialogum spectant, haec Terentius sumpsit a poeta illo anonymo, cuius fragm. supra attulimus; in Simonis narratione componenda eum inprimis ad Andriam Menandri respexisse per se consentaneum est, si quidem Andriam erat scripturus. scholiastae verba (test. 2): ***conscius sibi est primam scaenam de Perinthia translatam esse, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud T. cum liberto*** sic sunt intellegenda: quia non monologum volebat usurpare Ἀνδρίας, sed Περινθίας diverbium, etiam hanc fabulam debebat adhibere, ut comparando disceret, quibus locis duae scaenae ***fere isdem verbis scriptae*** (test. 1) inter se differrent; quod factum esse praecipue in personarum mutationibus opinor. — qua de causa Terentius matre familias omissa libertum [1] personam protaticam induxerit, haec mihi videtur: piguisset certe Romanos matrem et patrem contra filium quamvis iculariter falsas nuptias fingere. necdum plane mihi constat haec sic fuisse in Perinthia; nam ubivis terrarum hoc alienum est a matribus una cum patribus filios fallaciis ludificari; quod taedium moveret iam vides in Perinthia senem vix *ita* [2] cum uxore locutum esse, ut apud T. cum liberto; immo antea mater debebat domum intrare, ut senex solus remanens spectatoribus consilia sua de nuptiis simulandis posset aperire (item ut in monologo Ἀνδρίας).

Perinthiae Menandreae fuerunt hae personae:

1. **Laches senex I: charta.**
2. Lachetis uxor πρόσ. προτ.: test. 2. fr. 6.
3. **Daos servus I: charta fr. 2. 3.**
4. **ancilla *(Mysis)*: fr. 1.**
5. **adulesc. I *(Pamphilus)*: fr. 5.**
6. **adulesc. II *(Charinus)*: (fr. 5).**
7. **servus II *(Burrhia)*.**
8. **obstetrix *(Lesbia)*: (fr. 1).**
9. **mulier *(Glycerium)*: (fr. 1).**
10. **senex II *(Chremes)*.**

[1] quae de Sosia coco in gratiis domino agendis poetae ipsius vicario disserit F. Jacoby (in Hermae vol. 44 pg. 362 sqq.), quamquam Leonis quoque plausum tulerunt (in hist. litt. Rom. pg. 238 n. 3), mihi quidem nimia cum sagacitate videntur excogitata. ad quae apte respondit Schoell in libello s. c. pg. 6 sq.

[2] an *ita = item* διαλογικῶς?

11. senex III Perinthius: fr. 7. 8?
12. Tibeios
13. Geta } lorarii: charta.
14. Pyrrhias κωφ. πρ.
15. matrona *(Archylis)* κωφ. πρ.

personam *protaticam* Menander Lachetis uxorem induxerat, cui senex filii amorem et meretricis funus ut res ignotas narraret. quod facere ei licuit pro feminarum Atticarum vita plerumque intra domos occulta; apud Romanos id nullam habuisset speciem verisimilitudinis. etiam pauca de alterius adulescentis cum servo personis dicenda sunt[1]). quas personas *Terentius addidit fabulae (Andriae)*, quod facere poterat, quia non inerant: *nam non sunt apud Menandrum* (i. e. *in Andria*). nempe Grauert aliique post eum haec verba male interpretati sunt sic: *nam non sunt apud Menandrum, nec in Andria, nec in Perinthia, nec in ulla alia fabula.* quasi grammatico illi totus Menander notus fuisset! praeterquam quod poterant discere illum solo verbo *Menander* passim uti, ubi de Menandri *Andria* agitur (Don. fr. 1, 3, 6, 7, 8, 9, 10, Eugraph. fr. 2). addidit Terentius has duas personas Andriae, verum non de suo addidit, sed *transferendo in Andriam ex Perinthia*, quia *convenerunt* ob fabularum *non ita dissimile argumentum.* neque unquam poeta Romanus tam bonam elaboravisset oeconomiam scaenarum II 1, 2, 5; IV 1; V 6 Andriae implectendarum, nisi praesto ei fuisset exemplar Graecum; quod nihil aliud potest fuisse nisi Perinthia Menandri, fabula similis argumenti.

utrisque fabulis comparatis ea quaestio, quae est de comoediarum temporibus fieri non potest quin solvatur sic: Menander Andriam prius editam postea amplificatam mutato nomine ut Perinthiam iterum in scaenam produxit. quod ultro oculis se praebet, cum personarum tabulas et scaenarum numerum aspicis. nam qua ratione poeta fabulam decem personarum et viginti duarum scaenarum ut novam potuisset edere, si et personae et res omnes spectatoribus iam notae erant ex altera fabula multo locupletiore ideoque gratiore? immo nullus nisi inversus ordo verus esse potest. quod mihi quidem hoc quoque probatur, quod Perinthia ut fabula re-

[1]) ad haec quae sequuntur cf. libellum Schoelli s. c.

tractata nonnullis virtutibus Andriae praestat. nam senis in Andriae initio more Euripideo προλογίζοντος longum soliloquium in Perinthia mutatum est in senis cum uxore dialogum, scil. *ne unus diutius loqueretur*; quibus verbis Don. a. Eun. 539. eandem mutationem valde laudat, quam laudem si ad Graecorum θεωρίαν opinaberis recedere, vix falsus eris. Andria unum tantummodo habebat adulescentem, ita, ut ibi revera fieret, ut sponsa eius *spreta* relinqueretur illo aliam ducente; quod et ipsum voce Graeca vituperari (test. 3) non parvi momenti mihi videtur. Perinthia autem duos adulescentes amantes habebat, quod in Terentio laudant Euanth. de fabula III 9 et Don. a. Andr. 301, qui solam Hecyram excipit ob unum amorem. tum Davi supplicium in Perinthia in scaenam est prolatum, quo fabula ipsa haud ita paulo amplificatur. sed ne spectatorum oculi atroci aspectu servi ambusti offenderentur, poeta senis ἦθος plane mutavit, ut facile intellegitur comparatis Andr. sc. V 2 et charta. ibi enim dominus *saevit* et servum sublimen raptum iubet vinciri; per tres igitur scaenas (V 3—5) punitur. in charta autem Laches multo clementius cum Davo agit, quem irridet potius, atque cum senex amburi eum iam est iussurus, liberatur ille. has mutationes cunctas fabulae usui atque commodo fuisse negari non potest, et veteres in hac re idem sensisse apparet e fragmentorum numeris. nam Perinthiae ut fabulae potioris a Graecis afferuntur IX fragmenta praeter chartam saeculi p. Chr. n. III, Andriae II (4. 11). qua de causa Terentius Andriam vertendam sibi sumere maluerit, hoc iam non possumus perspicere; tantum certum videtur in iis rebus, quibus Perinthia Andriae ei videbatur praestare, dialogum dico primae scaenae et alterum adulescentem, illam fabulam eum secutum esse. quod non fecit in servi supplicio, ubi Perinthiae stilum scurrili obscenitate humiliorem aspernatus severiorem Andriae praeferendum putavit.

II. De Eunuchi exemplarium reliquiis.

Terentius Eunucho suae supposuit Menandri fabulam cognominem simul transferendo usus duabus personis Colacis Menandreae[1].

[1]) prol. vv. 19—34; didascalia *Graeca Menandru*; Donat in vit. Ter.

A. Eunuchi Menandreae fragmenta.

Meineke, Menand. et Philem. pgg. 67—69; Grauert, analect. pgg. 147—173; Kock, com. Att. fr. III pgg. 53—56.

1. (= 186 K.).

ἀλλὰ τί ποήσω; ⟨μὴ προσέλθω μηδὲ νῦν
αὐτῆς καλούσης⟩;

Ter. Eun. v. 46. Phaedria adulescens a Thaide exclusus incipit sic:

quid ígitur fáciam? non eam ne nunc quidem,
quom accersor ultro? an potius . . .

quibus adicit Donatus haec:
quid i. f.] Menander: ἀλλὰ τί ποιήσω; hinc Vergilius (Aen. IV 534) *hem quid agam?* (7) *non eam ne nunc quidem?] non eam?* Probus distinguit; iungunt, qui secundum Menandri exemplum legunt.

Terenti verba imitatus est Horatius serm. II 3, 262. 3:

Nec nunc, cum me vocat ultro,
accedam? an potius . . .,

Persius autem sat. 5,172:

quidnam igitur faciam? nec nunc, cum arcessat et ultro
supplicet, accedam?

hunc locum *e Menandri Eunucho traxit*, ut ait scholion ad v. 161. uterque, ut videtur, versus illos initii Eunuchi Menandreae repperat citatos in diatriba quadam. quibus omnibus nixus Meineke pulchre Menandri frustulum ἀλλὰ τί ποήσω; (= Peric. 399) amplificavit verbis μὴ προσέλθω μηδὲ νῦν αὐτῆς καλούσης; incautius Kock ultra caesuram πενθημιμερῆ addit haec: χἰκετευούσης ἐμέ, quod vetatur et Terentio et Horatio, nam Persium apparet simplex vocandi verbum suo arbitrio auxisse addita supplicatione.

2. (= 187 K.).

μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι
χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς ἀναγκαίους φέρε.

affert Stobaeus flor. 108,46: Μενάνδρου Εὐνούχῳ· κτλ. sunt verba Parmenonis servi ex eadem scaena sumpta, quae Terentius Eun. v. 77. 8 expressit sic:

neque praéterquám quas ipse amor molestias
habet addas, et illas quas habet, recte feras.

3. (= 194 K.).

[τρόφιμον . . .]

Ter. Eun. v. 289. Parmeno, ubi Chaeream advenientem vidit, dicit haec:

sed video erilem filium minorem huc advenire.

Donatus:

sed video] non potest Terentius τρόφιμον dicere et ideo *erilem filium* dicit.

cf. Photium (II 229): τρόφιμος· ὁ νεώτερος οἰκοδεσπότης. cf. Ter. v. Donati scholio commonemur de eis, quae Gellius (IX 9,4) animadvertit *reliquisse Vergilium, quod Graecum quidem mire quam suave est, verti autem neque debuit neque potuit.* quam observationem ille paulo post (9,12) refert ad *Valerii Probi discipulos*, quorum ὑπομνήματα videtur inspexisse. quare fortasse etiam Donati scholion ad eandem explicandi rationem accedit, cuius in v. 46. distinctionis fr. 1 causa Donatus iam fecerat mentionem.

ceterum Kock Men. fr. 531,1 et 16. Philippid. 27,2 male scribit Τρόφιμε prima maiuscula; utroque loco servus cum erili filio colloquitur, cf. cum priore Phasm. 28 sqq., cum posteriore Sam. 328 sqq.

4. (= 188 K.).

⏑ – ⏑ οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων.

Ter. Eun. vv. 686—689. Pythias ancilla subditivum et genuinum eunuchum sic describit:

ad nos deductus hodiest adulescentulus
quem tu videre vero velles, Phaedria.
hic est vietus vetus veternosus senex,
colore mustelino.

Donatus in annotatione haec:

colore mustelino] erravit Terentius non intellegens Menandricum illud οὗτός[1]) ἐστιν γαλεώτης γέρων. ait autem stellionem, quod animal lacertae non dissimile est maculoso corio; namque ad id genus facies exprimitur eunuchorum corporis, qui plerique lentiginosi sunt. hic ergo erravit ideo, quia γαλῆ *mustella* dicitur, γαλεώτης *stellio*. ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις (v. 174): ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους.

---

[1]) codd. αὐτός; sed cf. Ter. et Graecos.

Suidas 605b (= Bekk. anecd. 452) ἀσκαλαβώτης· ὁ γαλεώτης. οὐχὶ καλαβώτης λέγουσι· μᾶλλον δὲ γαλεώτην. Μένανδρος· οὑτοσὶ (οὑτωσὶ: V; οὕτως[1]): anecd., in quo desinit) δὲ γαλεώτης γέρων. Plinius n. h. 29,90: hunc (*stelionem*) Graeci *colotem*[2]) vocant et *ascalaboten* et *galeoten* . . . est enim hic plenus lentigine.

hoc scholion Donati et ipsum quoque Probum sapit, qui etiam Vergilium *errasse* aliquotiens adnotarit. quem apertum est hic lexicographum aliquem Graecum adhibuisse, qualem etiam unus de Plinii auctoribus videtur secutus esse; nam Plinii verbis *est enim hic plenus lentigine* mirum quantum convenit cum *lentiginosis* illis Donati. velut de Didymo potest cogitari, cuius s. v. γαλεώτης hoc exstitisse probabile est *stelionem esse animal* φακῶδες; cf. Hesychium s. v. φακός· . . . καὶ μέλασμά τι ἐν τῇ ὄψει. fortasse verba Menandrea, quae eadem adhuc scripta legimus apud Suidam, a commentarii auctore haudquaquam ex ipsa fabula, sed e lexico Graeco sunt excerpta.

v. l., quam exhibet Suidas οὑτοσὶ δὲ γ. γ., corrupta videtur ex οὗτός ἐστι.

5. (= 193b K.).

[ἐν ῥίσκῳ].

Pollux 10, 137: σιτοβόλια παρὰ τοῖς νεωτέροις · ῥίσκοι.

Photius s. v. ῥίσκος· ὁ τὰ ἀργυρώματα ἔχων καὶ τὸ πρόχειρον ἀργύριον. haec referenda ad Ter. Eun. v. 754, ubi Thais meretrix et Pythias ancilla haec colloquuntur:

abi tú, cistéllam, Pythias, domo ecfer cum monumentis
. . . # *úbi sitást?* # *in risco: odiosa cessas.*

(cf. Peric. 332). — quod fragmentum non debet commisceri cum altero σιτοβόλιον, id quod fecit Kock.

6. (= 190 K.).

égo deorúm vitám proptérea sémpitérnam esse árbitrór,
quód voluptátes eórum própriae súnt: nam míhi immortálitás
pártast, sí nulla aégritúdo huic gaúdio íntercésserít.
sed quém ego míhi potíssumum éxoptem, háec quoi núnc narrém, dari?

---

[1]) Menandreorum frustulum; nam οὕτω Μένανδρος aut Μένανδρος citant antiqui, non Μένανδρος οὕτως.

[2]) nonne: *cal⟨ab⟩oten?*

haec Ter. Andr. vv. 959–961. Pamphilus Glycerium suam ducturus laetus exclamat. adnotat Donatus:

(3) *ego deorum]* hanc sententiam totam de Menandri Eunucho transtulit. et hoc est quod dicitur (v. 16) *contaminari non decere fabulas.* (4) et est δόγμα Ἐπικούρειον, quod a ceteris philosophis repudiatur, de otio deorum ac perenni voluptate.

en purpurae assutos centunculos! — locus Eunuchi Menandreae, de quo cogitavit scholiasta, etiam in versione Terentiana pellucet, exstat vv. 550 sqq., ubi Chaerea post stuprum Pamphilae, Thaidis sorori, allatum ex aedibus egressus haec laetus exclamat:

iámne erúmpere hóc licét mihi gaudium? pro Iuppiter,
nunc ést profécto interfici cum perpeti me possum,
ne hoc gaúdium contaminet vita aegritudine aliqua.
sed néminemne curiosum intervenire nunc mihi,
qui mé sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, enicet . . .

nam uterque praedicat adulescens sibi ob hoc gaudium immortalitatem fore (si mors sibi esset illo temporis momento obeunda). paulum tamen interest in his locis; nam cum alter adulescens (Eunuchi) vereatur, ne quis intercedat interpellator soliloquii sui (Antiphonis personam addidit Ter.), alter (Andriae) socium sibi exoptat gaudii sui, sane secundum Menandrum, et invenit servum. — quae Kockio in Arist. I 592 D. cum hoc loco similia potuerint videri, fateor me non perspicere. melius est monere de alio *dogmate Epicureo* tragici cuiusdam Attici ignoti nominis, cuius e *Telamone* Ennius in suam fabulam cognominem transtulit hos vv. (316 sqq. V.):

égo deorúm genus esse semper dixi et dicam caelitum,
sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus:
nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

7. (= 189 K.).

πάντα τὰ ζητούμενα
δεῖσθαι μερίμνης φασὶν οἱ σοφώτεροι.

quae verba afferunt Stobaeus fl. 29, 47. Μενάνδρου Εὐνούχου κτλ. et Clemens Al., omisso fabulae nomine, str. 5, 1, 11:

τὸ δὲ ζητούμενον
ἁλωτόν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον

κατὰ τὸν Σοφοκλέα (Oed. reg. 110 sq.)· τὰ δ' ὅμοια καὶ Μένανδρος ὁ κωμικὸς λέγει· κτλ., nisi quod codd. οἱ σοφώτατοι, sed comparativus multo elegantior est. — fragmentum ipsum mihi quidem videtur pertinere ad scaenam 2, 3; ibi Chaerea festinando exanimatus in scaenam prodit. Philumenam a parasito ad Thaidem ductam secutus in itinere a patris cognato quodam est appellatus et virginem e conspectu amisit. sed quamquam *incertus* est, *quam insistat viam*, tamen hoc addit v. 295:

_ ⏑́ ⏑ *úna haec spés est: ubi ubi est, diu celari non potest.*

cur non potest diu celari? fortasse Terentius ut saepius omisit talia: *nam non desinam quaerere eam prius quam invenero:* πάντα τὰ ζητούμενα | δεῖσθαι μερίμνης φασὶν οἱ σοφώτεροι.

8. (= 191 K.).

⏓ – ⏑ – ⏓ συστομώτερος σκάφης.

Zenobius V 95 σ. σ.· παροιμία ἐπὶ τῶν τὰς σκάφας φερόντων μετοίκων, διὰ τὸ ἀπαρρησίαστον, οἷς οὐδὲ χανεῖν ἐφεῖτο. τάττεται δὲ ἐπὶ τῶν μὴ δυναμένων παρρησιάζεσθαι . . . μέμνηται ταύτης Μένανδρος ἐν τῷ Εὐνούχῳ. idem fere exhibet Diogen. 8, 12.

Photius (II 191) σ. σ.· τάττεται ἐπὶ τῶν διὰ τὸ ἀγεννὲς σιωπώντων . . . καὶ ὁπότε ἐβούλοντο μέτοικον δηλῶσαι, ἢ σκάφη ἔλεγον ἢ σκαφηφόρον· διὰ τὸ ἀπαρρησίαστον εἶναι· συστομώτερον ποιήσειν ἀπειλεῖν σκάφης. similiter Hesychius.

Photii verbis probabile fit Menandrum scripsisse:

⟨καὶ⟩ συστομώτερόν σεποιήσω σκάφης,

Kock. qualia ne refellere quidem operae pretium putabis. non minus infeliciter Grauert comparat Eun. v. 597, ubi Antipho aequali in stupro narrando sibi indulgenti haec dicit:

tum equidem ístuc ós tuum impudens videre nimium vellem.

in quo v. quid insit simile cum proverbio Graeco nescio. — equidem persuasum habeo illud συστομώτερος σκάφης in Chaereae occurrisse narratione. nam certo hoc dictum est de *eunucho subditivo*, qui, ne vox se coarguat, aut ut μίμησις sit perfecta, in Thaidis domo ne mu quidem dicit. de quo ipse refert v. 578:

edícit (Thais), *né vir quisquam ad eam adeat et mihi ne abscedam imperat:*
in ínterióre parte ut maneam solus cum sola. adnuo
terram íntuens modeste.

592. *dum haec mecum reputo . . .*
594. *sto exspectans, siquid mi imperent . . .*
596. *accipio tristis.*
601. *intérea sómnus virginem opprimit. limis ego specto sic per flabellum clanculum: simul alia circumspecto satine explorata sint. video esse. pessulum . . .*

quibus vv. verisimile fit proverbialem illam iunctionen συστομώτερος σκάφης referendam esse ad Chaereae narrationem Ter. Eun. 3, 5.

9. (= 193a K.).

[σιτοβόλιον]

Pollux 9, 44, 5. σιτοβόλια· ταμιεῖα ἵνα οἱ πυροί. ἐν Μενάνδρου Εὐνούχῳ. Grauert recte ut videtur monuit de Ter. Eun. v. 310, quo Chaerea Parmenoni pristina beneficia in memoriam revocat: *quom in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.*

10. (= 192 K.).

[λύκου πτερά.]

Milleri mél. Gr. pg. 359. (e Zenobio): λ. π.· ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων εἴρηται ἡ παροιμία, ὅταν μέχρι τῶν ⟨ἀ⟩λόγων ὁ φόβος ᾖ. πῶς γὰρ ἂν πτηνός τις γένοιτο λύκος; μέμνηται ταύτης Μένανδρος ἐν Εὐνούχῳ. fere idem exhibent Diogen. Vindob. III 7 (= Suid. 2358a) et Macar. V 68.

cod. Milleri exhibet μέχρι τῶν λόγων ἄφοβος ᾖ, reliqui μέχρι τῶν λόγων ὁ φόβος ᾖ (Macar. στῇ). ut scribam ἀλόγων suadet persuadetque familiaris meus Io. Szlatolawek.

hic quoque nihili sunt, quae profert Kock. qui grammatici quaestionem πῶς γὰρ ἂν πτηνός τις γένοιτο λύκος; in trimetrum coactam — vix est credibile — pro fragmento Menandreo studet divulgare. ceterum quo fabulae loco exstiterit proverbium illud, iam non videmus.

B. Colacis Menandreae fragmenta.

Meineke, Men. et Phil. pgg. 98—102; Grauert, analect. pgg. 161—167. Kock, com. Att. fr. III pgg. 82—85; Koerte, Menandrea[2].

pro parca fabulae usurpatione unum modo fragmentum in Terenti Eunucho reperitur.

1. (= 297 K.).

γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος.

hunc v. servat Plutarch. d. adul. et. am. pg. 57a, ubi talia adulatorum dicta ut usitata affert. illic post Men. fr. 293 K. sic pergit: καὶ· γέλωτι πρ. τ. Κύπριον ἐνηθούμενος. quae Cobet pulcherrime correxit in γελῶ τὸ et ἐννοούμενος, corrupta ut apparet iam in scriptura maiuscula: ΗΘ = ΝΟ.

verba sunt Struthiae, parasiti Colacis, ad Biantem militem dicta, quod adnotat Plutarchus. quibus est usus Terentius Eun. v. 498, ubi Gnatho parasitus et Thraso miles haec colloquuntur:

hahaháe # quid rídes? # istuc quod dixti modo
et illud de Rhodio dictum, quom in mentem venit,

nempe respicientes ad militis iocularem logum (420 sqq.), quem et illum quoque e Colace sumptum esse hoc monito satis demonstratur.

reliqua septem fragmenta apud Terentium non reperiuntur.

2. (= Oxyrrh. Pap. III no. 409).

cf. Leo, NGG, 1903, 673; Koerte, Menandr.² pg.

Colacis Menandreae partem in charta servari cognitum est duobus aliis fragmentis (294 K. = vv. 42—44; 731 K. = vv. 49. 50), quae in illa reperiuntur. Bias, quem Colacis militem esse ex Plut. pg. 57a acceperamus, semel (v 32, vix 69) nominatur, et tetradistarum convivii cum sacrificiis coniuncti in honorem Veneris vulgivagae factis (cf. Athen. pg. 659d) mentio fit v. 10 (σύνοδος). partis fabulae servatae argumentum enarrat Koerte in Menandr. praef. pg. XLVIII. equidem satis habeo ad paucos locos nonnulla addere.

vv. 18—20 sic scribo:

]αρα: νῦν ἐγὼ Δωρίς ⟨ἀπορῶ.⟩
πειρῶ δὲ θαρρεῖ]ν Φειδία: θαρρεῖν ἐμοί
λέγεις; τῆ]ς κτλ.

v. 18 in fine est mancus; ἀπορῶ sufficit iuvenis desperationi. v. 19 infinitivus θαρρεῖν bis positus commendatur et adulescentis quaestione iterata, quam Koerte verbo λέγεις (20) probabiliter restituit, et

contrario in eodem v. accentu θάρρεῖν et θαρρεῖν[1]. ν littera etiam servatur; infinitivus pendet ex imperativo velut πειρῶ; δὲ = ὅμως, ob illius desperationem. ceterum cf. Ar. Thesm. 243.

θάρρει. = τί θαρρῶ καταπεπυρπολημένος;

vv. 28 sqq. Koerte edit haec:

ἀλλ' ὅδ' ὁ [διμοιρίτης φέρων αὐτός ποτε
ἐπορεύετ'] ον, πήραν, κράνος
ον, διβολίαν, κώδιον
νῦν πάντα ταῦθ' ὁ τρισατ]υχὴς ὄνος φέρει.

in quo quid sibi velit ἐπορεύετ', ego non intellego. immo obiectum pendens e φέρων (28) valde desidero. neque etiam Leoni possum assentiri, qui totum v. 29 ornamentis militaribus explet sic: θώρακα, σάγμα, σαύνι]ον, πήραν, κράνος. nonne verba φέρων αὐτός ποτε (28) ad priorem militis egestatem spectant, quae comparatur cum praesentibus divitiis? quare hoc velim commendare:

ἀλλ' ὅδ' ὁ [διμοιρίτης φέρων αὐτός ποτε
θύλακον ἔχει νῦν σαύνι]ον, πήραν, κράνος,
σκόλοπας, σκαπάνην, γύλι]ον, διβολίαν, κώδιον.
νῦν πάντα ταῦθ' ὁ τρισατ]υχὴς ὄνος φέρει,
ὁ δέ ποτε Βῖθυς γέγονεν ἐξ]αίφνης Βίας.

θύλακος pera est ad panem reservandum destinata (Ar. Plut. 763), mendici solus ornatus (cf. Hesych. s. v. θυλακίζω; Plaut. Aul. 518, corr. a. Wil.). fuit igitur Bias e Phidiae sententia πτωχαλαζών (Athen. 230c) vel potius πτωχὸς καὶ νεκρός, qualem ipse eum paulo post appellat. nam ne unum quidem caculam habuit velut (cf. 442 K.). Στρατοφάνης λιτόν ποτ' εἶχε χλαμύδιον καὶ παῖδ' ἕνα, sed ipse tum peram suam tulit. — v. 28. praesens φέρων facile sic explicatur: prior illius habitus adulescenti etiam nunc ante oculus versatur; haec dicit: *etiam memini ipsum suam peram illum ferre: nunc autem habet e. q. s.* ad. v. 31. ὁ τρισατυχὴς ὄνος licet monere de Ter. Eun. 598. *(tum videre vellem) flabéllulúm tenére te ásinum tántum.*

v. 51. in papyro haec servata sunt: τουτοι[.] ἀπόκριναι. quae Grenfell et Hunt mutaverunt in τοῦτό γ' ἀπόκριναι neglecta unius litterae lacuna. ego expleo τούτοι[ς] ἀπόκριναι. Phidias militi haec vult dicere: *nunc es dives; dic, quam machinatus es technam? his*

[1]) cf. Epitr. 76; 197. 8; 554. 6; 563. 4; Sam 94. 5 (bis); 206; Peric 271. 3; 439. 41; Phasm. 32; fr. 23. 1. 2; 257. 4; 292. 6. 7; 481. 3; 776; monost. 35).

responsum da, unde habes haec? — *his*, i. e. *civibus*, qui sunt ἐν ἀγορᾷ (48), scil. *si mihi quidem potestatem te rogandi abiudicas.* οὗτος de personis praesentibus monet Epitr. 40. 87 al.

vv. 52. 3. incipit novum Colacis fragm. (= Oxyrrh. Pap. X 1237), quo alterum illud compluribus versibus amplificatnr, qui ibi inter vv. 53. 4. videntur intercidisse. XVI linearum quae sequuntur clausulae haud ita male servatae ceteraeque reliquiae hoc tantummodo nos docent, in Colace fuisse Davum servum et Gnathonem quendam. hic, qui nominis testimonio certe fuit adulator, quas partes egerit in fabula iuxta alterum illum Colacis adulatorem Struthiam, iure mirandum est.

v. 54. tantum casu quodam non esse perscriptum certum est. ὁ κόλαξ, quod supplevit Leo et post eum Koerte, illo loco maturius quam debet exstaret. nam tota servi oratio satis obscura et rustica ad id unum properat verbum, quod iamdudum exspectamus propter δι' οὗ (55), τοῦτο μόνον (57), ὃ (58), τοῦτο (62). tum in fine (63), paene παρὰ προσδοκίαν, id exstat, de quo totiens significavit: οἱ κόλακες. ex quo sequitur hoc verbo eum iam antea non esse usum. δι' οὗ (55) neutrius est generis propter ὃ (58), cf. praeterea fr. 155.

τρία γάρ ἐστι, δέσποτα,
δι' ὧν ἅπαντα γίνετ', ἢ κατὰ τοὺς νόμους,
ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ τὸ τρίτον ἔθει τινί.

ad τοῦτο μόνον (57) . . . τοῦτο μόνον (62)· οἱ κόλακες cf. fr. 485.

τοῦτο μόνον ἐπισκοτεῖ
καὶ δυσγενείᾳ καὶ τρόπου πονηρίᾳ
καὶ πᾶσιν οἷς ἔσχηκεν ἄνθρωπος κακοῖς·
τὸ πολλὰ κεκτῆσθαι.

deinde in eodem v. nomen *Struthiae*[1]) desideratur, ut iam vidit Koerte; nam ad illum servus respicit v. 58. διὰ τοῦτον ἐξεύρηκ' ἐγώ. — tum deest verbum, ex quo pendeat circuitus ille v. 55. δι' οὗ τὰ πάντα ἀπόλωλε πράγματα. nam hanc quaestionem esse obliquam sequitur ex iteratione inversa vv. 57. 8. . . . τοῦτ' ἀπολώλεκεν μόνον ταύτας, ὃ νῦν διὰ τοῦτον ἐξεύρηκ' ἐγώ. quae cum ita sint, lacunam in hunc fere modum licet refingere:

---

[1]) an in Gnathonem invehitur Davus?

εἷς ἐστ[ʼ ἀ]ν[ή]ρ, ὁ Στρουθίας, ὅς ἔδειξέ μοι,
δι᾽ οὗ τὰ πάντ᾽ ἀπόλωλε τρόφιμε πράγματα
ἄρδην· λέγω σ[οι πλέο]ν. ὅσας ἀναστάτους κτλ.

εἷς ἀνήρ sine emphasi pro εἷς τις, velut οὐδεὶς ἀνήρ (οὐδ᾽ ἂν εἷς ἀνήρ: Soph. Oed. v. 281) pro οὐδείς: Arist. Vesp. 889. 1226 et πᾶς (τις) ἀνήρ pro πᾶς τις eiusd. Ach. 42, Vesp. 802, Pac. 510 (Ran. 1022). articulum nomini proprio apposui more Menandreo, cf. Her. 24. 5. 8. 33. 6; Peric. 62. 230. 328 alibi. ad ἔδειξε cf. Epitrep. 491. 4.

v. 56. Leo haec supplet λέγω σ[οι πάλι]ν, quae nec ad vestiga in charta servata bene quadrant, nec sententiae sufficiunt. nam numquam antea, ut videtur, servus illa erili filio narravit, ergo nunc non λέγει πάλιν. adulescens non plane perspicit, quo spectent servi verba; quare ille: λέγω σ[οι πλέο]ν = *iam plura tibi dicam*, id quod statim facit vv. 56—63.

v. 62. pro ἀπολωλότας [νῦν] malim ἀπ. [ποτε], quo excipitur illud πώποθ᾽ v. 59. et lacuna 4 litterarum expletur.

v. 85. leno secum agit, utrum meretricem, de qua vv. proximis dixit, vendat necne:

. . . . . .]τιάδα πωλῶ; μὰ τοὺς δώδεκα θεούς
οὐκ ἄσ]μενος διὰ τοῦτον· ἡ μία λαμβάνει
ὅσον οὐχὶ δέκα, τρεῖς μνᾶς ἑκάστης ἡμέρας
παρὰ τοῦ ξένου.

feminarum nomina in -ιάς exeunt haec: Ἀργονιάς, Ἀσκληπιάς, Δηλιάς, Δωριάς, Ἰσθμιάς, Μηνιάς, Ὀλυμπιάς, Πυθιάς, Σαραπιάς (cf. Bechtel. fem. Att. nom., ind.). quorum quia ne unum quidem exit in -τιας neque etiam dubia est lectio . .]τιάδα in papyro servata, chartae scribam necesse est in una minimum littera peccavisse. meretricum nomina inveniuntur Δωριάς (Antiph. fr. 26, 4) Ἰσθμιάς (Philetaer. fr. 9, 5) Πυθιάς (Phoenicid. fr. 4, 2). duo horum nominum reperimus in Terenti Eunucho, ad quam fabulam in hac quaestione respicere non est inutile, quia notum est, id quod supra exemplis *Burrhiae* (= Πυρρίας Perinthae) et *Gnathonis* demonstrabatur, poetam Romanum personarum nomina ex eis quibus utebatur fabulis Graecis sumpsisse permutatis tantummodo personis; Colacem autem Terentius in Eunucho componenda adhibuit. quare Δωριάς et Πυθιάς (Eunuchi ancillae *Dorias* [538. 720] et *Pythias*) ultro sese offerunt ad lacunam explendam.

3. (= 292 K.).

σπονδή· δίδου σὺ σπλάγχν' ἀκολουθῶν. ποῖ βλέπεις;
σπονδή· φέρ' ὦ παῖ Σωσία. σπονδή· καλῶς
ἔχει. θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα
Ὀλυμπίασι, πᾶσι πάσαις . . (λάμβανε
τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ) διδόναι σωτηρίαν
ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν
ἀγαθῶν ὄνησιν πᾶσι. ταῦτ' εὐχώμεθα.

affert Athenaeus pg. 659 d: Μένανδρος ἐν Κόλακι τὸν τοῖς τετραδισταῖς διακονούμενον μάγειρον ἐν τῇ τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης ἑορτῇ ποιεῖ ταυτὶ λέγοντα· κτλ. paulo ante haec legimus: οὐδὲν οὖν ἦν παράδοξον, εἰ καὶ θυτικῆς ἦσαν ἔμπειροι οἱ παλαίτεροι μάγειροι· προίσταντο γοῦν καὶ γάμων καὶ θυσιῶν. — sacerdotis igitur officio hic fungitur cocus et iculariter preces sacras et iussa profana promiscue profundit.

v. 1. σπονδή dicit ad vini libationem deos invocans. — verbo ἀκολουθῶν suum servum impellit, cui v. 5. tradit hostiae linguam, quam reservari solitam esse sacerdoti ex Aristophane notum est. — ποῖ βλέπεις; hac quaestione invocantur ii, qui oculos avertunt aut pudore (Epitr. 441, corr. Wil.) aut timore (cf. Sam. 97) aut indiligentia (Ar. Lys. 184. 426, Mnesimach. fr. 4, 23, cf. Plaut. Pseud. 151 sq.; hoc loco); similiter ποῖ στρέφει; dictum ad eos, qui se avertunt aut pudore (Peric. 234) aut timore (Ar. Thesm. 610) aut ira (Pl. Amph. 899: *quo*[1]) *te avortisti?*).

v. 2. ὦ παῖ Σωσία Cobet falsum putavit, „*quia qui dicit* ὦ παῖ, *simul nomen servuli non addit*". in quo aliquid inest veri: cocus primo ὦ παῖ clamat, deinde, cum ille cunctetur, nomen addit. cf. Sam. 143 παῖ Παρμένων. Ar. Pac. 255 παῖ παῖ Κυδοιμέ. Plut. 624 παῖ Καρίων. Euangel. fr. 1, 8 παῖ Δρόμων.

vv. 2. 3. καλῶς | ἔχει in codd. valde est corruptum; hoc enim legitur καλῶ | εὔχου. καλῶς iam M. Musurus restituit, ἔχει his demum temporibus de Wilamowitz. καλῶς et ἔχει etiam Peric. 266. 7. versus fine alterum ab altero dirimuntur. hoc loco Sosia interim viscera apportavit — non libationem, ut falso putat Kock — id quod laudat cocus.

[1]) male Fleckeis. *quor*.

v. 5. ἐν τούτῳ codd. rectissime. cocus puerum animalis linguam e visceribus iubet sibi ipsi ut sacerdoti reponere, ac veritus, ne alius quisquam sibi praeripiat (cf. Ar. Pac. 1052—1119), deorum imploratione (ad quam cf. Thesm. 331 sqq.) interrupta puerum impellit: λάμβανε τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ, i. e. *interim, dum precor*, non, ut ait Kock: *dum libatio fit*. lepidissime haec dicit in media infinitivi constructione εὐχώμεθα . . . διδόναι; cf. Ar. Av. 865 sqq.: εὔχεσθε . . καὶ στρούθῳ μεγάλῃ μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων . . .

Πειθ.] Δέσποινα Κυβέλη, στροῦθε, μῆτερ Κλεοκρίτου.
. . . διδόναι Νεφελοκοκκυγιεῦσιν ὑγίειαν κτλ.

4. (= 293 K.)

κοτύλας χωροῦν δέκα
ἐν Καππαδοκίᾳ κόνδυ χρυσοῦν Στρουθία
τρὶς ἐξέπιον μεστόν γε. ‡ Ἀλεξάνδρου πλέον
τοῦ βασιλέως πέπωκας. ‡ οὐκ ἔλαττον. οὐ
μὰ τὴν Ἀθηνᾶν. ‡ μέγα γε.

leguntur apud Athenaeum pg. 434 b: ἔπινε δὲ ὁ Ἀλέξανδρος πλεῖστον . . . Μένανδρος δὲ ἐν Κόλακί φησι· κτλ. idem vv. 1. 2 repetit pg. 477 f.: κόνδυ· ποτήριον Ἀσιατικόν· Μένανδρος Κόλακι· κοτύλας — Στρουθία. solutis vv. 3. 4 ad hunc locum respicit Plutarchus d. adul. et am., pg. 57 a: . . . καθάπερ ὁ Στρουθίας ἐμπεριπατῶν τῷ Βίαντι καὶ κατορχούμενος τῆς ἀναισθησίας αὐτοῦ τοῖς ἐπαίνοις· Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως πλέον πέπωκας.

v. 3. ἐξέπιον: Bentl.; ἔπιον: cod. A. — v. 4. πέπωκας τοῦ βασιλέως: A.; transpos. Bentl. — v. 5. lib. m s haec exhibet: μὰ τὴν Ἀθηνᾶν μέγα γε. in quibus restituendis operam dedit Meineke (an. Ath. 196), qui sic scribit: μὰ τὴν Ἀθηναίαν ‡ μέγας εἶ. sed Menander semper ut videtur dicit Ἀθηνᾶν, non Ἀθηναίαν. *fortasse*: μέγα λέγεις, Kock. sed poterit retineri μέγα γε; cf. Ar. ran. 490 sq.

Δι. ἐγὼ δ' ἀνέστην καὶ προσέτ' ἀπεψησάμην.
Ξα. ἀνδρεῖά γ', ὦ Πόσειδον. Δι. οἶμαι, νὴ Δία.

fuerint velut:

οὐκ ἔλαττον, οὐ
μὰ τὴν Ἀθηνᾶν ‡ μέγα γε. ⟨νὴ τὸν Ἥλιον⟩.

vel simile aliquid.

5. (= 295 K.).

Χρυσίδα, Κορώνην, Ἀντίκυραν, ⟨εἶτ'⟩ Ἰσχάδα
καὶ Ναννάριον ἔσχηκας ὡραίαν σφόδρα.

Athenaeus pg. 587e: Μένανδρος δ' ἐν Κόλακι τάσδε καταλέγει ἑταίρας· κτλ. versum priorem Kock quam licet verisimillime restituit interposito εἶτ', quod ob *itacismum* quem vocamus ante Ἰσχάδα facile poterat intercidere. — verba sunt Struthiae militi blandientis, non meretricis cuiusdam increpantis, ut putat Kock. cf. Plaut. Mil. gl. 58 sqq., ubi Artotrogus parasitus haec fundit:

amánt te ómnes mulieres, nec iniuria,
qui sis tam pulcer.

cf. v. 91 *ait sése ultro omnis mulieres sectarier:*
is deridiculost quaque incedit omnibus.

6. (= 298 K.).

πρόσεισιν, οἷον ἀψοφητὶ θρέμματος
(ἐπιψαύων καὶ ἀποπειρώμενος.)

Plutarch. d. adul. et am. pg. 57a post frgg. 4. et 1. haec: τοὺς δὲ κομψοτέρους ὁρῶν ἐνταῦθα μάλιστα προσέχοντας αὐτῷ καὶ φυλαττομένους τὸ χωρίον τοῦτο καὶ τὸν τόπον (ὁ κόλαξ) οὐκ ἀπ' εὐθείας ἐπάγει τὸν ἔπαινον, ἀλλ' ἀπαγαγὼν πόρρω κυκλοῦται καὶ πρόσεισιν — θρέμματος ἐπιψαύων καὶ ἀποπειρώμενος. hoc quoque fragm. post duo altera allatum eiusdem esse fabulae comprobatur ex Hesychio, qui s. v. ἀψοφητί servat haec: ἠρέμα, ἡσύχως . . . κολακείᾳ, quod Meineke correxit in Κόλακι ά (cf. pg. 30 sq.)

v. 2. videntur fuisse ultima verba ἐπιψαύων καὶ ἀποπειρώμενος ἀπ. finis alterius trimetri esse potest.

7. (= 299 K.).

⟨θυννὶς⟩, κωβιὸς, ἠλακατῆνες,
κυνὸς οὐραῖον ⟨τῶν καρχαριῶν⟩.

Athenaeus pg. 301d: ἠλακατῆνες· εἰσὶ δὲ κητώδεις, ἐπιτήδειοι εἰς ταριχείαν. Μένανδρος Κόλωσί φησι· κωβ. ἠλ. [καὶ] κυν. οὐρ. Κόλωσί iam Clericus correxit in Κόλακί. verba desumpta esse ex systemate anapaestico cognitum est e fragm. Mnesimachi comici apud eundem Athenaeum servato, ubi pg. 403b haec legimus: Μνησίμαχος δ' ἐν

Ἱπποτρόφῳ τοιαῦτα παρασκευάζει, et longo poemate enumerantur quicumque fingi possunt cibi. v. 36. (= Mnes. fr. 4, 36 K. II 438) exstant verba supra citata: θυννίς — καρχαριῶν. ex his vv. in Menandreis licet tradito καὶ deleto in initio θυννίς. in fine τῶν καρχαριῶν addere, ne manca sint dimetra. quot vv. et ante et post hos positos Menander e Mnesimachi fabula desumpserit, edicere nequimus. Athenaeum falsum esse vix est probabile, quamquam nescimus, cur auctorem illum transcripserit Menander. fortasse nominatim eum citavit.

ciborum dinumeratio aliquo modo aut ad parasitum referenda est aut ad cocum. apud Plautum utriusque generis inveniuntur exempla: parasitus ipse Capt. 850 sq. haec nominat scitamenta:

pércam[1]) *átque opthálmiám,*
hóraeum scombrum ét trygónem et cetum et — mollem caseum.

alibi patroni parasitis narrant, quae intus ad cenam parentur, ut Men. 210, Pers. 87. — coqui similia dinumerantes occurrunt Pseud. 814. cf. Aul. 398. Mnesimachi versus Athenaei testimonio dicebantur ad puerum in forum missum; quare etiam fragm. Menandreum potius ad cocum eiusque puerum Sosiam referenda putaverim quam ad militis parasitum.

8. (= 300 K.).
[βοῦς Κύπριος].

Milleri mél. pg. 366 (= Zenob. II 82): β. K.· ἴσον τῷ· σκατοφάγος εἶ. λέγονται γὰρ οἱ βόες ἐν Κύπρῳ σκατοφαγεῖν. μέμνηται ταύτης Μένανδρος ἐν Κόλακι καὶ Ἰμβρίοις (Ἰάμβοις: cod.; corr. Miller.) — σκατοφάγος vox valde contumeliosa; cf. Sam. 205, Peric. 204, fr. 825. Ar. Plut. 706. de quo dictum sit βοῦς Κύπριος, nescimus, suspicor aut em de milite autde parasito.

C. Epilogus.

haec testimonia afferenda sunt:

1. schol. in Pers. sat. 5, 161: hunc locum e Menandri Eunucho traxit, in quo *Davum* servum *Chaerestratus* adulescens adloquitur tamquam amore *Chrysides* derelictus, idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. apud Terentium personae immutatae sunt.

[1]) lepide lusit Fortuna, quae in Palatinis *percam* — πέρκην Graecorum — mutavit in *pernam*.

2. Donat. a. Eun. 26. *parasiti personam inde ablatam* (*et militis*)] et hoc mire: non versus obicit, sed personam esse translatam. quid stultius aut calumniosius dici potest?
3. id. a. Eun. 507. *profecto*] haec (Chremetis) persona apud Menandrum adulescentis rustici est.
4. id. a. Eunuch. 539. (1) *heri*] in hoc proloquio insinuatio eius est, cui narraturus est Chaerea, quae a se post scaenam gesta sunt. — (3) bene inventa persona est, cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur, ut apud Menandrum (*scil.* in Eunucho).
5. id. a. Eunuch. 971. *ex meo propinquo rure*] adnotandum quod huius senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum *Simon* dicitur.

maximi momenti in Eunucho tractanda est quaestio illa de parasiti et militis personis. repetenda igitur, quae profert Terentius ut Luscii iurgia prol. vv. 23 sqq.

exclámat fúrem, non poetam fabulam
dedisse, et nil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam,
parasiti personam inde ablatam et militis.

huc respicit schol. Don. a. Eun. 228. *hic quidem est parasitus Gnatho*] haec apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est (v. 25) *parasiti personam et militis*, sed de Colace translata sunt. — quae verba ultro clamant fabulam ipsam non esse inspectam a grammatico, sed in prologi verbis *par. pers. inde ablatam et mil.* eum requievisse. sed acceperitne recte illa verba, de hoc licet dubitare, si cum hoc comparas alterum scholion ad Eun. 26 (test. 2): et hoc mire: non *versus* obicit, sed *personam* esse translatam. quid stultius aut calumniosius dici potest? quod fieri non potest quin interpretemur sic: re vera Terentius non personas transtulit, sed versus tantummodo illarum personarum. — sed iam ex fabula Terentiana perquirendum est, rene vera illae personae ab Eunucho Menandrea potuerint abesse. in initio Chaerestratus a Chryside erat exclusus (test. 1). qua de causa, quaeso? nonne ob aemulum illo ipso die a Chryside ultro vocatum, ut recuperaret collactaneam? ridiculum sit illum fabulae defuisse conicere. aemulus Chaerestrati Chrysidi donaturus erat virginem fidicinam. illum ut vinceret, adulescens donaturus erat eunuchum, a quo fabulae Graecae quoque erat nomen

(Don. praef. I 1). qui adulescentis aemulus etiam cum meretricis prima narratione artissime cohaeret; cf. v. 125 *interea miles, qui me amare occeperat* . . . 134 *forte fortuna adfuit hic meus amicus: emit eam* . . . idem puellam ad Thaidem curat adduci, idem cum hac abit comissatum. certe igitur inerat in Eunucho Menandrea aemulus quidam Chaerestrati. sed utrum ille quoque fuerit miles an alius mortalis, primo dubium esse potest. hoc demum iam nunc certum videtur poetas ingenuos adulescentes ut aemulos infortunatos inducere solitos non esse; profecto enim spectatores ob συμπάθειαν cum illis doluissent. milites autem libentissime illis opponunt ut amatores infortunatos et ob ipsorum iactationes molestas et quia civibus liberae rei publicae, quo magis suae libertati imminebant diadochorum exercitus conducticii, eo magis in odium subibant ipsi mercenarii. huc accedit, quod nonnullis fabulae Terentianae locis adhuc pellucet illum re vera militem fuisse. velut Parmeno servus vv. 480 sqq. haec:

atque háec qui mísit, non sibi soli postulat
te vivere, et sua causa excludi ceteros
neque pugnas narrat neque cicatrices suas
ostentat neque tibi obstat, quod quidam facit.

cf. Phoenicid. fr. 4, 4 K. (III 334):

εὐθὺς ἐπιχειρήσασα φίλον ἔσχον τινά
στρατιωτικόν· διὰ παντὸς οὗτος τὰς μάχας
ἔλεγεν, ἐδείκνυ' ἅμα λέγων τὰ τραύματα,
εἰσέφερε δ' οὐδέν.

idem sapiunt verba v. 494 sq.:

haud convenit
una ire cum amica imperatorem in via.

haud minus e fabula Graeca fluxisse videntur vv. 781 sqq.:

Thr.] *tu hosce ínstrue: ego ero hic póst princípia: inde omnibus signum dabo.*
Gn.] *illúc est sápere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.*
Thr.] *idem hoc iam Pyrrhus factitavit.*

quin Menander Pyrrhi pugnandi rationem commemorarit, tempus non obstat; alia autem ex parte ipsa illa aetate haec quaestio, utrum imperator ipse pugnando deberet interesse necne, mota erat ab Isocrate in epistula ad Philippum missa (§ 92) et saepius disputata

videtur esse. nempe Terenti sunt verbum *iam* et tempus perfectum *factitavit.*

unus restat locus nec tamen minoris momenti. vv. 125 sq. miles et colax haec colloquuntur:

Th.] (*huc eo*) *ut Tháidí me dédam et faciam quod iubeat.* Gn.] *quid est?*
Th.] *quí minus quam Hérculés servívit Omphalae?* Gn.] *exemplum placet.*

quae quin translata sint ex Graeco nemo dubitabit; sed — et hoc summum est — e Colace desumpta esse non possunt. ibi enim meretrix lenonis est; qui eam amare vult, illi dat τρεῖς μνᾶς ἑκάστης ἡμέρας, aut illam emit aut rapit. Thais autem (et Chrysis Menandri) sui est iuris, domum habet, summates amicos, ancillas, pedisequas. iam vides in hanc perbene, minime in illam quadrare exemplum Omphalae reginae. alia ex parte quod ille se ipse cum Hercule comparat, hoc non adulescentem, sed militem sapere unusquisque concedet. quibus argumentis nixus persuasum habeo Chaerestrati aemulum in Menandri Eunucho militem fuisse, non adulescentem.

iam accedendum ad colacis personam. qui apud Terentium v. 232 Pamphilam ad Thaidem ducturus in scaenam prodit. quodsi schol. Don. ad Eun. 228, quo v. Gnatho primum nominatur, haec legimus: . . . *apud Menandrum in Eunucho non sunt*, non ad totam scaenam ea debemus referre. etiam in Menandri fabula puella in scaenam erat producenda, et ut in Chrysidis domum posset pervenire, et ut Davus adulescenti minori eam posset describere. sed sola nequibat ire, quia empta serva erat. quis igitur eam adducebat? apparet longam narrationem de parasito famelico (quacum cf. Pl. Capt. 461 sqq. Leo d. monol. pg. 73) nihil attinere ad ipsum mandatum, sed inde ab initio a poeta Graeco inventam esse ob solas facetias, quae exstant in fine:

sectári iússi,
si pótis est, támquam philosophórum habent dísciplinae ex ipsis
vocábula, út parasíti itém 'Gnathonici' vocentur.

eleganter iocatus est poeta in Πλατωνικούς, et luce clarius est hunc iocum stare non potuisse, nisi parasito in illa ipsa fabula Graeca fuisset nomen Gnathonis. quodsi Gnathonem in Colace Menandri partes egisse papyro nuper reperto comprobatur[1]), statuendum erit

[1]) tamen nullam habemus ansam cum Meinekio frgm. apud Erotianum 24, 22 servatum Philemonis Colaci abiudicare et ob similitudinem quandam cum Ter. Eun.

in Eunucho Menandrea alium quendam puellam in Chrysidis domum duxisse.

sed in duabus quoque alteris scaenis Eunuchi Gnatho partes agit non exiguas: in IV 7 ut legatus Thrasonis exercitum instruit, in V 8 auctor est militem adulescentis rivalem recipi. quarum scaenarum illa vix quicquam (cf. Col. v. 71. 2), haec certe nihil habebat simile in Colace Menandrea ob fabulae argumentum ab illo Eunuchi plane diversum. verum ultimam comoediae Terentianae scaenam Menandro non deberi alii credant; tota ipsius spirat Atticam elegantiam; adulatorem ex hac scaena nemo potest eximere. qua imprimis ut supra militem, ita nunc etiam adulatorem vel similem militis comitem, Eunucho Menandreae iam infuisse cogor contendere. verba Terenti autem, quae profert in prologo, minime contradicunt: *Colax Menandrist: in east parasitus colax et miles gloriosus.* novimus; sunt Bias et Struthia. *eas se non negat personas transtulisse in Eunuchum suam ex Graeca* (scil. *Colace*). nusquam legitur in Eunucho Menandri alium militem et alium colacem non infuisse. immo illas personas vel potius versus earum (test. 2) transtulit et assumpsit, quia *convenere*, et ut diligentius perscriberet alteras personas Eunuchi. quomodo enim duas personas ex altera comoedia in alteram diversissimi argumenti transferre potuisset, in qua nondum inerant? tota fabula inde ab initio denuo ei scribenda fuisset. nunc autem Eunuchum, quam transtulit, paulo tantum, ni fallor, auxit translatis nonnullis vv. Colacis. haec transferendi facultas in talibus modo scaenis data erat, quibus miles et parasitus, a reliqua fabulae actione absoluti, spectatores scurrilibus delectabant facetiis. talis locus apud Terentium exstat unus Eun. 395—433, quem desumptum esse e Menandri Colace pulcherrime probatur frg. 1 (= v. 498): γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος. nam *illud de Cyprio*, quem Terentius mutavit in *Rhodium*, narratur vv. 420 sqq.:

---

vv. 237, 8 Menandro assignare (Phil. fr. 38 9 Men. fr. 296 K.). praeterquam quod haec similitudo minime tanta est, ut Terentium illud fr. transtulisse cogendum sit:

ἀλλ' οὐδὲ γεννήτην δύναμ' εὑρεῖν οὐδένα
ὄντων τοσούτων, ἀλλ' ἀπείλημμαι μόνος.

Ter.: '*quoniam miser quod habui perdidi, em quo redactus sum omnes me noti atque amici deserunt*'. cf. Plaut. Amph. 1039. 40, ubi Amphitruo haec: *perii miser. quid ego faciam, quem advocati iam atque amici deserunt*

lepus túte es ét pulpámentúm quaerís? ⌗ *hahaháe*[1]).
= δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ; Diogen. IV 12. hic maxime locus Luscii movit clamorem. nam iam Livius Andronicus et Plautus (fortasse etiam Naevius) milites induxerant illud ipsum verbum proferentes in Colacis versionibus (S. h. A. 30, 13, 5; Eun. 25).

in hac igitur scaena (III 1) Colacem adhibitam esse possumus demonstrare.

III. De Adelphorum exemplarium reliquiis.

Terentius fabulae suae supposuit Adelphos Menandri, unam scaenam Diphili Synapothnesconton, quam Plautus in Commorientibus reliquit, in suam comoediam traduxit[2]). fabulae Diphili ne unum quidem servatur fragmentum, neque de Commorientibus ex uno quod exstat fragmento quicquam potest intellegi. quare in Adelphis est requiescendum.

Adelphorum Menandreae fragmenta.

Meineke, Menand. et Philem. pgg. 1—9; Grauert, analect. pgg. 124—147; Kock, com. Att. fr. III pgg. 3—7.

1. (= 1 K.).

χὤ μακάριόν φα⟨σιν⟩, γυναῖκ', οὐ λαμβάνω.

Ter. Ad. v. 43. Micio senex hanc prae se fert sententiam:

. . . ét quod fórtunátum istí putánt,
uxórem, númquam habui. ílle cóntra . . .

ad haec annotat Donatus:

(2) *et quod fortunatum i. p.*] Romani scilicet, qui *caelibem* quasi *caelitem* dicunt et item Graeci, apud quos sunt huiusmodi sententiae:

[1]) male delent *et* (= καίτοι, cf. Hand. Turs. II 494, 5), ut habeant *púlpaméntum quáeris* ⌗ *há⟩hahahaé*. attamen saepius apud Plautum *argúmentúm*, *fundámentúm* al. — rem ipsam optime explicit Don. ad Eun. 426 (2) *quod in te habes, hoc quaeris in altero? et est* τρόπος ἀλληγορία. cf. Otto. proverb. 190, 1 lepus 3, qui poterat addere locum Apulei metam. IX 28, ubi pistor uxoris adulterum puellum in stupro deprensum *deducit ad torum*, postridie sic irridet: *tu autem tam mollis ac tener et admodum puer defraudatis amatoribus aeta*[t]*is tuae flore mulieres adpetis?*

[2]) prol. vv. 6—14; didascalia *Graeca Menandru*. Donat. ad vit. Ter.

τταφιαος εχοινιων πωλουμενον et alibi: γαμεῖ Πάμφιλος γαμείτω κατα ρια ἠδίκησέν με. (3) *fortunatum i. p.*] utique uxorem non ducere. dicit autem Romanis ita videri, quos spectatores habet. Menander:

τω μανκαριχη μυ γινεκα ον λαμβάνω.

fragmenta comica in lemm. (2) servata (= adesp. 296. 7 K.) iam dudum fere correcta esse Wessner, Donati editor, nescit. εχοινιων πωλουμενον = σχοινίων πωλουμένων, qua formula utebantur antiqui in interrogatione, quae exprimit admirationem; cf. Antiphanis fr. 100 K.

πλεῖς τὴν θάλατταν σχοινίων πωλουμένων;

quae dictio paene proverbialis orta est ex sententiis qualis Pl. Aul. 50. *utinám me diui adaxint ad suspendium* | *potiús quidém quam* . . ., atque significat hoc: *cur tu illud facis, ubi pensilem te facere tibi licet?* Graeca vertit Iuvenalis sat. 6, 30, ex diatriba quadam, ut videtur, περὶ γάμου:

ferre potes dominam salvis tot restibus ullam . .?

Πάμφιλος, quod nomen in litteris servatis ττα φιανος latere cognovit Dziatzko[1]), in vocativi forma, vix cum trimetri numeris poterit consociari, attamen trimetrum fuisse Antiphanis fragmento verisimile fit. quare scribe Πάμφιλε, ut habeas locum, quo loco reponas syllabam brevem γα- verbi γαμεῖς, quod plane interiisse perspicuum est. totum fragmentum sic igitur legi poterit:

Πάμφιλε γαμεῖς σὺ σχοινίων πωλουμένων;

alterum fragmentum transponendo restitutum est sic:

Πάμφιλως γαμεῖ; ⫽ γαμείτω, καὶ γὰρ ἠδίκησέ με.

quaerit mater, ut videtur, respondet pater Pamphili. quae verba memoriam movent ultimae Hautontimorumenu scaenae, ubi Clitopho uxorem ducere a patre cogitur. sententiae similes hae sunt:

fr. Men. 65. οὐ γαμεῖς, ἂν νοῦν ἔχῃς.
fr. Men. 535. γαμεῖ τις ἀνθρώπων, γαμεῖ;
monost. 91. 95 alia.

in lemm. Donati (3) servatur versus Menandreus, cuius finem

[1]) nomen Πάμφιλος ex altero v. in hunc putat irrepsisse Kock; si recte, possis:

γαμεῖς γυναῖκα σχοινίων πωλουμένων;

mon. 362: μὴ γάμει γυναῖκα κοὐκ ἀνοίξεις τάφον corruptum est; γάμει ortum videtur e λαβέ: μὴ λαβὲ γυναῖκα κοὐκ ἀνοίξεις σοι τάφον. vide infra.

Bentleius restituit: γυναῖκ' οὐ λαμβάνω. μακαριαν Dziatzko primus mutavit in μακάριον (= *fortunatum*, Ter.), cf. fr. Men. 472 νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, μακάριόν γ' ἡ χρηστότης.

monost. 342. μακάριόν ἐστιν υἱὸν εὔτακτον τρέφειν.

idem igitur valet atque εὐδαιμονία:

fr. 60. εὐδαιμονία τοῦτ' ἔστιν, υἱὸς νοῦν ἔχων:

hucusque igitur ut certa a doctis restituta sunt haec:

τω μακάριον μυ _ γυναῖκ' οὐ λαμβάνω.

quae Dziatzko sic explevit:

τὸ μακάριον δ' αὐ⟨τῶν⟩, γυναῖκ', οὐ λαμβάνω,

in quo mihi displicet αὐτῶν, quo verbo ad certos quosdam videtur respicere poeta, quorum in Terentio nec vola nec vestigium. Terentius hoc tantum dicit: *quod f. isti putant*, qui autem sint illi *isti*, de hoc silet; nempe omnes ii, quorum sententiam diversam senex non probat. interim hoc velim praeferre:

χὤ μακάριόν φα⟨σιν⟩, γυναῖκ', οὐ λαμβάνω.

χὤ] = *et quod*. χ in λ, tum in τ videtur corrupta. φασιν] = *putant*. μ haud raro facta est e φ, cf. in tab. 18. — ⟨σιν⟩ autem interiit ante ΓΙΝΕΚΑ[1]. — α videtur in χ, haec in υ esse mutata. —

2. (= 2 K.).

αιγοστη ποιῶν

τοιγο ερπατο τὸν γρόνθον (?) οἰκέτην λαβών.

Ter. Ad. vv. 198. 9. Sannio leno quam sibi iniuriam intulerit Aeschinus magna voce clamat:

dómo me erípuit, verberavit: me invito abduxit meam:

homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

ad haec Donatus:

homini misero] secundum illud Menandri:

αιγοστη ποιων τοιγο ερπατο τονγρωνον οικετην λαβων. in quibus οἰκέτην λαβών respondet Terentianis *abduxit meam*. porro γρωνον corruptum est e γρόνθον (ω = Ο, cf. in tab. No. 33; Θ intercidit ante Ο), quod perspexit Kock, qui hos attulit locos:

---

[1] corruptela similis invenitur Men. Epitr. 441.

λέγε ποῖ βλέπεις; πέρυσιν [⟨συν⟩ . . .] ἐσθ[ῆς] ἐμοί

τοῖς Ταυροπολίοις, εἴπερ εὖ μέμνημ' ἐγώ.

cf. infra ad Hec. fr. 2.

Hesych. (III 406) πυγμή· γρόνθος. πυκτή ἤγουν τὸ συγκεκλεῖσθαι τοὺς δακτύλους. — Moeris (295 Koch) πύξ· Ἀττικοί. γρόνθος· Ἕλληνες. — Eustath. pg. 1322, 40. δακτύλους . . . εἰς γρόνθον συστρέφοντες.

accusativus τὸν γρόνθον pendere debet ex verbo quodam, quod valet idem atque *immittere, demittere*. — ποιων exitum versus prioris videtur significare. Terentius igitur trimetra mutavit in septenarios, i. e. amplificavit verba Menandri. sic ex οἰκέτην λαβών fecit, ni fallor, *me invito abduxit meam*. nec aliter addita videntur verba *homini misero* ad *mihi*, et *quingentos colaphos* dicit pro *multis*. sed litterae servatae adeo sunt corruptae, ut equidem eis mederi nequeam.

3. (= 6 K.).

⏑ –. πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ γάρ,
καὶ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.
ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον
ἅπαντα τἀνιαρὰ Λαμπρία φέρει.

traduntur haec apud Stobaeum in fl. 96, 11. Μενάδρου· κτλ. haec sine dubio Terentius imitatus est Ad. vv. 605—607:

605 *omnés, quibus rés sunt mínus secúndae, magis sunt*
nescio quo modo
suspíciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
proptér suam inpotentiam se semper credunt claudier.

v. 1. ὁ πένης et v. 3. ὁ μετρίως πράττων = *omnes quibus res sunt minus secundae*. — v. 2. πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει = *sunt . . suspiciosi* et *se semper credunt claudier*.

primus iambus deest, quo fortasse altera persona (Λαμπρίας), ut saepius fit ante longiores explicationes, quaerebat πῶς οὖν;

Terentius hic quoque immutavit personas: nam Λαμπρίας in Adelphis appellatur Micio.

ad δειλὸν ὁ πένης ἐστί cf. Men. fr. 59. 83. 93. 352. 466. 587; Ar. Plut. 782.

4. (= 10 K.).

ἐγὼ δ' ἄγροικος, ἐργάτης σκυθρός, πικρός
φείδωλος ⟨ὢν ἔγημα . . .⟩

Photius (II 166) s. v. σκυθρός· αὐθέκαστος. αὐστηρός· Μένανδρος· κτλ. sunt Ter. Adel. vv. 866. 7, ubi Demea senex haec de se profitetur:

égo ille agréstis, saévos, trístis, parcus, truculentus, tenax duxi uxorem.

cf. Arist. Nub. vv. 43, 6:

ἐμοὶ γὰρ ἦν ἄγροικος ἥδιστος βίος, . . .
ἔπειτ' ἔγημα Μεγακλέους τοῦ Μεγακλέους
ἀδελφιδῆν.

Afranius in *Privigno* (= fr. 252 R.):

vixísti trístis, dúrus, difficilis, tenax.

5. (= post 12 K.).

οἴμοι· τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποεῖ.

est Menandri mon. 696, quod primus Ihne (pg. 27 quaestion. Ter.) contulit cum Ter. Ad. v. 197, ubi Sannio leno haec exclamat:

pró supréme Júppitér,
mínume míror, qui insanire occipiunt ex iniuria.

nec recte, ut opinor, Kock exclusit hoc fragm. nam quantum potuit elegantia non neglecta, poeta Latinus Graeca verba expressit. tam similes sunt hi loci quam qui maxime. οἴμοι mutavit ob colorem Latinum in *pro supreme Iuppiter*; ceterum quam pulchre impersonalem vocem μανίαν ποιεῖ sermoni Latino adaptavit plurali generali *insanire occipiunt*, quam recte in ποιεῖ cognovit vim incipiendi, cum dicit *occipiunt.* quare hoc fragmentum segregandum non censeo.

6. (= 3. K.).

εἰ δ' ἔστιν οὗτος τὴν κόρην ὁ διεφθορώς,

Eustath. 191, 25: ἐκ Μενάνδρου· κτλ., omisso articulo ὁ. Bachm. anecd. II 377, 13. Μένανδρος ἐν Ἀδελφοῖς· κτλ., omisso art. ὁ. Ammon. 41: Μέν. Ἀδ.· κτλ., omissis verbis οὗτος et ὁ.

articulum ὁ addidit Kock; cf. Peric. 249. 50.

ὁ δὲ διεφθαρκὼς ἐμοῦ
ἀπόντος αὐτὴν οὐκ ἀδικεῖ μ';

recte Valckenaer cum v. Menandreo contulit Ter. Ad. vv. 295. 6, ubi Canthara anus Sostratam matronam de filiae stupro his verbis consolatur:

é re náta mélius fíeri hau potuit quam factumst. era,
quando vitium oblatumst, quod ad illum attinet potissumum

erant apud Menandrum immutata cola:

εἰ δ' ἔστιν οὗτος τὴν κόρην ὁ διεφθορώς,
e re nata melius fieri hau potuit . . .

cf. Epitr. 590. 1. οὐ γέγονεν εὐτύχημα μεῖζον οὐδὲ ἕν,
[εἰ τοῦ]τ' ἀληθές ἐσθ' ὃ λέγεις.

278. 9. εἰ γάρ ἐστ' ἐλευθέρας
παιδός, τί τοῦτον λανθάνειν δεῖ τὸ γεγονός;

7. (= 12 K.).

τί πολλὰ τηρεῖν πολλὰ δεῖ δεδοικότα;

haec affert Stobaeus in flor. 8, 8. Μενάνδρου Ἀδελφοῖς· κτλ. cod. A exhibet τί πολλὰ τ. π. δεῖ τὸν δεδοικότα; quae sic sunt intellegenda: *quid multa cavenda sunt ei, qui multa timet?* sententia est hominis, qui ab alio quodam admonitus, ut caveret aliquid, haec respondet: *quid iubes me multa cavere, cum multa timeam,* i. e. *cum multa mihi in discrimine versentur, cum de multis dimicem.* huic versui locum mihi videor intra fabulam repperisse; cf. quaeso, quae Ter. Ad. vv. 339 sqq. colloquuntur Geta Sostrata Canthara:

Ge.] *nunc si hóc palám proférimus, ílle (Aeschinus) infitias ibit, sat scio:*
tua fáma et gnátae vita in dubium veniet. tum si maxume
fateátur, quóm amet aliam, non est utile hanc illi dari.
quaprópter quoquo pacto tacitost opus. So.] *ah, minume gentium!*
non fáciam. Ge.] *quid ages?* So.] *proferam.* Ca.] *hem, mea Sostrata, vide quam rem agas.*

iam poterat Sostrata exordiri a sententia illa generali:

τί πολλὰ τηρεῖν πολλὰ δεῖ δεδοικότα;

sic pergit:

peióre rés loco non potis est esse quam in quo nunc sitast.
primum índotatast: tum praeterea, quae secunda ei dos erat,
periít: nuptum pro virgine dari non potest. hoc relicuomst:
si infitias ibit, testis mecum erit anulus, quem amiserat.

8. (= 4 K.).

ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
πένητός ἐστιν· οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ
αὑτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
δεόμενον, αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Stobaeus in fl. 10, 24. Μενάνδρου Ἀδελφοῖς· κτλ. v. 2. οὐδεὶς codd. correxit in οὐδὲ εἷς Grotius. — haec verba a nemine potuisse dici nisi a paupere quodam ex ipsis verbis intellegitur. hoc fere valent: *pauperi requirendus est cognatus; ad divitem enim ultro venit. nec unus quidem hoc probat sibi respiciendum esse inopem, sed omnes timent, ne quid mendicetur.* recte Kock rettulit haec ad Ter. Ad. v. 353, quo Geta servus a Sostrata ad Hegionem cognatum missus profitetur:

nam hercle álius némo réspicít nos.

perbene in fabula Graeca servus post verba Sostratae (353. 4) in scaenae fine abiens illam sententiam poterat proferre.

9. (= 11 K.).

⏑ – ⏑ –. θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεί
ὁ νοῦς γάρ, ὡς ἔοικεν, ὦ σοφώτατε.

Iustin. Martys d. monarch. (109a not. 50 tom II. Otto): ὁ αὐτὸς (Μένανδρ.) ἐν Ἀδελφοῖς· κτλ. sed v. 2 codd. exhibent ὡς ἔοικεν οἱ σοφώτατοι. οἱ iam Bentleius mutavit in ὦ; si recte hoc fecit — nec dubitabit quisquam — perspicuum est non magis nos obstringi forma σοφώτατοι, quia est assimilata articulo antea corrupto. nullam enim reperies rerum condicionem in Adelphis Terentiana, ubi complures possint appellari σοφώτατοι. sin autem scribis ὦ σοφώτατε — qua inter se appellatione utuntur, nonumquam εἰρωνικῶς, velut Plat. rep. I 339e. Gorg. 495d — optime quadrat fragmentum ad scaen. 3, 3, in qua Syrus, Micionis servus, cum Demea sene rustico collocutus domini in Aeschinum indulgentiam valde sibi displicere simulat, illius autem morum integritatem nimis se amare. cf. quae dicit vv. 385 sqq.:

o Démeá,
istúc est sápere, non quod ante pedes modost
videre, sed etiam illa quae futura sunt,
prospicere . .,

et paulo post (v. 392 sqq.):

nímium intér vos, Demea,
(non quía ades praesens dico hoc!) pernimium interest.
tu quantusquantu's nil nisi sapientia es,
ille sómnium.

his locis videtur pellucere sententia illa Menandrea

θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεί
ὁ νοῦς γάρ, ὡς ἔοικεν, ὦ σοφώτατε.

cf. Philem. fr. 103.

ἤκουσα τούτων αὐτός, οὐδὲ φύεται
αὐτόματον ἀνθρώποισιν, ὦ βέλτιστε, νοῦς,
ὥσπερ ἐν ἀγρῷ θύμος· ἐκ δὲ τοῦ λέγειν τε καί
ἑτέρων ἀκούειν καὶ θεωρῆσαι ⟨μόνον⟩
κατὰ μικρὸν ἀεί, φασί, φύονται φρένες.

10. (= 5 K.).

οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν,
ἀλλ' ἀντιτάττεσθ'· εἰ δὲ μή, τἄνω κάτω
ἡμῶν ὁ βίος λήσει μεταστραφεὶς ὅλος.

Stobaeus 44, 3 Μενάνδρου Ἀδελφοῖς· κτλ. vv. 1. 2 = comp. Men. et Phil. 105. 6 — sunt verba Hegionis e scaen. 3, 4, in qua a servo arcessitus primo haec dicit (v. 448):

ex íllan fámiliá
tam inlíberále esse ortum facinus.

tum autem iam minus clementer:

454 *nisi facient quae illos aequomst, haud sic auferent.*

hic maxime erat idoneus locus illi sententiae generali — id quod iam vidit Ihne (l. c. pg. 29):

οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν,
ἀλλ' ἀντιτάττεσθ'· εἰ δὲ κτλ.

nam ἀντιτάττεσθαι vult Hegio, cum dicit: . . . *haud sic auferent.*

alter quem Ihne indicavit locus (v. 500) vel eo refellitur, quod ibi Hegio Demeam, Aeschini patrem, iam pridem vidit — v. 454 eum nondum conspexit —: ergo de amici filio non dicit coram patrem τοῖς πονηροῖς.

11. (= 9 K.).

⏓ – ⏑ – ⏓· κοινὰ ⟨γὰρ⟩ τὰ τῶν φίλων.

scholion in Plat. pg. 319 Bekk.: κοινὰ τὰ τῶν φίλων· ἐπὶ τῶν συμμεταδόντων . . . καὶ Μένανδρος ἐν Ἀδελφοῖς.
similiter Suidas pg. 2219 a et Menandri nomine omisso Zenobius 4, 79.

locus Terentianus ille est, quo Micio a Demea acriter vitu-

peratus, quod etiam Ctesiphonem item ut Aeschinum corrumpi sineret, haec opponit (vv. 803. 4):

non aequum dicis. De.] *non?* Mi.] *nam vetus verbum hoc quidemst,*
communia esse amicorum inter se omnia.

sic, ut apud grammaticos traditur, proverbium numquam in fabula Menandrea potest exstitisse[1]. licet commonere de Plaut. Trin. v. 54

omníbus amícis quod mihist cupio esse idem.

[12. (= 8 K.).]

ὀκτώ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα
κυάθους, ἕως κατέσεισε φιλοτιμούμενος
⟨ἑαυτὸν ἄν τις⟩.

servantur apud Athenaeum pg. 431 b. κατασείειν δὲ ἔλεγον ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς πότοις προπινόντων, τὴν μεταφορὰν λαμβάνοντες ἀπὸ τῶν τοὺς καρποὺς κατασειόντων. Μένανδρος Ἀδελφοῖς· κτλ. idem pg. 481 d. Φιλήμων Φάσματι· ἔπιεν ἡ Ῥόδη
κυμβίον ἀκράτου # κατασέσειχ' ὑμᾶς καλῶς.

Photius I 327 N. κατέσειε· λέγουσιν ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς πότοις προπινόντων· ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ κτλ.

ὑποχεῖν est *raptim potare, hinunterstürzen,* κατασείειν *unter den Tisch trinken*[2]. verba tradita omnia recte se habent, sed non usque ad finem sententia est excerpta; quod apparebit, ubi accuratius eam aspexeris: ἀνεβόα τις (v. 1) ὑποχεῖν (τινα) ὀκτὼ καὶ δ. κυάθους, ἕως ἂν φιλοτιμούμενος κατέσεισεν ἑαυτόν (= *jemand rief, es würde wohl einer 8—12 Pokale hinunterstürzen müssen, bis daß (die Tatsache denkbar wäre, daß) er ihn selbst unter den Tisch trank*). figura est indicativi potentialis praeteriti, in qua indicativus aoristi cum particula ἂν coniunctus potentialem vim habet, de quo usu exempla affert Kühner II 1, 212. accusativus τινα e sententia ἀνεβόα τις ὑποχεῖν τινα remotus est in sententiam adiectam ἕως ἂν ἑαυτὸν κατέσεισε, mutatus scilicet in nominativum τις.

Grauert hoc fragm. ad Demeae narrationem de rapta psaltria rettulit, quod quo iure fecerit, nemo potest intellegere. immo

[1]) λόγος παλαιός ἐστι· κοινὰ || τὰ τῶν φίλων: Jacobs et Meineke.

[2]) Latine est *deponere*, cf. Pl. Aul. 575:

ut me deponat vino, eam adfectat viam.

Benfeium secutus Adelphis abiudicatum Ἁλιεῦσι Menandreae attribuendum censeo.

nec volo silere aliquando me putavisse Adelphorum fragmentis acquiri posse unum (= adesp. 882 K.):

ἡ πόλις
ὅλη γὰρ ᾄδει τὸ κακόν,

ex Orionis etymol. ed. Sturz pg. 23, 1: ἀδολεσχεῖν· ἔγκειται τὸ ᾄδειν, ὅπερ λέγεται ἐπὶ τοῦ τὰ αὐτὰ ἐπαναλαμβάνειν. Μένανδρος· κτλ. recordabar enim vv. illos Adelphorum 91 sqq., quibus Demea senex rure reversus de raptu psaltriae haec profert:

clámant ómnes índignissumé
factum esse. hoc advenienti quot mihi, Micio,
dixere! in ore est omni populo.

sed — quandoquidem meliora officiunt bonis — interea vidi fragmentum illud Menandreum quidem, verum non Ἀδελφῶν esse, sed Ἐπιτρεπόντων. nam ut illic Demea rure adveniens summa ira inflammatus ad fratris domum migrat, ita hic in Epitrepontibus inde a v. 359. Smicrines senex redux ex urbe ad generi Charisii domum advenit iratus, quod ille neglecta nupta Habrotonum fidicinam ad se recepit. Onesimus, qui ante domum stans videt senem appropinquantem, haec dicit iam abiturus:

ἀλλ' ὁδί
τίς ἐσθ' ὁ προσιών; Σμικρίνης ἀναστρέφει
ἐξ ἄστεως πάλιν, ταρακτικῶς ἔχων
αὖτις· πέπυσται τὰς ἀλ[ηθεῖς αἰτία]ς
παρά τινος οὗτος· ἐκποδὼν δὲ βούλομαι
ποιεῖν ἐμαυτὸν κτλ.

in v. 366, qui erat ultimus Onesimi, desinit fragmentum T_1 (R) et incipit fragmentum M_1 (R), quod nihil exhibet nisi linearum initia paucarum litterarum. vv. 2. 3 (= 368. 9 fabulae apud Koertium) licet inserere fragmentum supra citatum:

Σμικρ. εξη
ἀσωτ[ἡ πόλις
ὅλη γ[ὰρ ᾄδει τὸ κακόν
εὐθὺς
σαφῶς
πίνειν

C. Epilogus.

testimonia sunt afferenda haec:

1. Don. ad Ad. 81. *hem opportune*] melius[1]) quam Menander, cum hic (Terentius) illum (Demeam) ad iurgium promptiorem quam ad resalutandum facit.
2. Don. ad Ad. 275. *paene ex patria*] (1) deest *fugere.* (2) ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν. Menander mori illum voluisse fingit, Terentius profugere.
3. Don. ad Ad. 351. *atque Hegioni cognato huius*] (1) apud Menandrum Sostratae frater inducitur. (2) *huius* filiae suae scilicet.
4. Don. ad Ad. 938. *ego novus maritus*] apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur: ergo Terentius εὑρετικῶς.
5. Micio apud Menandrum *Lamprias* dicitur, ut apparet e fragm. 3.

lenonis partes apud Menandrum quoque fuisse vel ex fragmentis 2 et 5 intellegitur desumptis ex illius monologo, non, ut putabat Grauert, e Demeae narratione. Diphili est is tantummodo locus, ubi *adulescens . . . lenoni eripit meretricem*, qui nullus alius potest esse nisi inde a v. 155 ad v. 196 (cf. Ihnium pg. 27). nec ullo modo psaltriae in Lampriae domum deductio poterat deesse. nam in fabulae initio Aeschinus nondum est domum reversus, postea autem psaltriam apud Lampriam esse necesse est ob Ad. v. 388:

Dem.] *quid? istaéc iam pénes vos psáltriást?*
Syr.] *ellam íntus,*

et ob scaenam 5, 2, in qua Demea filium minorem cum illa accubantem deprehendit in domo. ergo lege illa scaenica certissima psaltriam coram spectatores Lampriae domum deduci opus erat. — adulescentem illum Synapothnesconton Diphili meretricem sibi ipsi, non alii cuiquam rapuisse fere certum est. quo fit, ut apud Terentium quoque primo quidem sibi ipsi videatur puellam rapuisse Aeschinus, et ut spectatores usque ad v. 252: *sed Ctesiphonem video: laetus est de amica . . .*

retineantur in hac opinione; quo magis postea cum Sostrata et Geta possint dolere scilicet idem putantibus. — in una quaestione solvenda haereo. nam v. 356 e Demeae ore audimus Ctesiphonem

[1]) Varronis est arbitrium, de quo refert Suet. in vit. Ter.: *nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri.*

una adfuisse in raptione cum Aeschino. sed v. 154 non cum fratre et amica in scaenam prodit, sed postea demum v. 254. ubi interea fuit? unde tam sero sequitur? quo loco fabulae oeconomiam contaminando suspicor esse perturbatam.

IV. De Hautontimorumenu exemplaris reliquiis.

Heautontimorumenos sola est fabula non contaminata earum, quas Terentius transtulit e Menandro[1]). *integram* esse fabulam *ex integra Graeca* ipse profitetur poeta iocose addens ita factum esse, ut fabula *simplici ex argumento duplex* fieret, i. e. fierent una Graeca et una Latina[2]).

Hautontimorumenu Menandreae fragmenta.

Meineke, Menand. et Philem. pgg. 54—56. Kock, com. Att. fr. III pgg. 41—44.

1. (= 140 K. + fr. inedit. 14 Reitzenst. ind. lect. Rost. 1890, 91).

πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς δαιμονᾷς γεγονὼς ἔτη
τοσαῦθ᾽· ὁμοῦ γάρ ἐστιν ἑξήκοντά σοι,
⟨ἢ καὶ πλέον⟩, καὶ τῶν Ἁλῇσι χωρίων
κεκτημένος κάλλιστον εἶ, νὴ τὸν Δία,
ἐν τοῖς τρισίν γε καὶ τὸ μακαριώτατον
ἄστικτον.

vv. 1. 2 affert scholion in Platon. II 380: ὁμοῦ σημαίνεται ποτὲ μὲν τὸ ἐγγύς, ὡς δηλοῖ Δημοσθένης . . . καὶ Μένανδρος ἐν τῷ Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ· κτλ.

vv. 3—6 servantur in etymologico genuino ex Epaphrodito excerpto: οὕτως Ἀττικοὶ ἐκάλουν τὸ ἐλεύθερον χωρίον καὶ μὴ ὑποκείμενον χρήστῃ . . . Μένανδρος· κτλ. οὕτως Ἐπαφρόδιτος ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ στοιχεῖον συγγεγυμνασμένων.

huc eodem respiciunt schol. Lucian. 186 J.: ἄστικτον χωρίον· Μένανδρος εἴωθε λέγειν τὸ ἀνεπιδάνειστον et Hesych. s. v. ἄστικτον·

---

1) prol. vv. 4—9; didascalia *Graeca est Menandru*: Donat. ad vit. Ter.

2) sic iam Eugraphius recte ad Haut. 6 *duplex q. e. a. f. e. s.*] ut simplex argumentum sit duplex, dum et Latina eadem et Graeca est.

τὸ ἀνέπαφον χωρίον· τὸ γὰρ ὑποκείμενον ἐστίχθαι ἐλέγετο et Pollux 3, 85: λίθος ἦν ἢ στήλη τις δηλοῦσα κτλ.

v. 1 δαιμονᾶις egregie e codicum δαίμωνδύο restituit Porson in miscellan. 250. — v. 3 ⟨ἢ καὶ πλέον⟩ coll. Terentio addidit Reitzenstein, qui alteram fragmenti partem Hautontimorumenu esse perspexit. sunt enim verba Chremetis ad Menedemum dicta vv. 61—64.

nam pró deum átque hominum fidem, quid vis tibi?
quid quaeris? annos sexaginta natus es,
aut plus eo, ut conicio; agrum in his regionibus
meliorem neque preti maioris nemo habet.

cum illis τρισίν γε iam Reitzenstein contulit τὰ τρία κακά, ad quae vid. Useneri dissertationem quam *de triade* scripsit in Mus. Rhen. vol. 58 (1903) pg. 357 n. 2 locosque ibi citatos. τὰ τρία κακά (1. ξίφος 2. ἀγχόνη vel κρημνός vel βρόχος 3. κώνειον) idem valent atque τὰ μέγιστα κακά. ut igitur dicunt ἐν τοῖς μεγίστοις μέγιστον vel ἐν τοῖς κακίστοις κάκιστον, ita poterant etiam ἐν τοῖς τρισὶν κάκιστον. mox ubi dictionis origo est oblitterata, ἐν τοῖς τρισίν eodem modo quo ἐν τοῖς μάλιστα passim et in malis rebus et in bonis videntur adhibuisse; et recte, ut opinor, ille suspicatus est invenisse eos altera τρία ἀγαθά[1]).

2. (= 141 K.).

λουτρόν, θεραπαίνας, ⟨στρώματ'⟩, ἀργυρώματα.

Athenaeus pg. 231a: Μένανδρος Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ· λ. θεραπαίνας ἀργυρώματα. — post θεραπαίνας, i. e. post caesuram Jacobi recte statuit lacunam, quam explevit secutus fr. 3 Apollodori Geloi (III 279 K.):

ἐφεξῆς στρώματ' ἀργυρώματα,

quem versus finem hic secundum illum videtur informasse. sunt verba Menedemi Terentiani, qui Chremeti narrat filio propter

---

[1]) cf. Eubuli fr. 94 K. (II 196):

τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
τοῖς εὖ φρονοῦσι· τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα,
ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι, τὸν δὲ δεύτερον
ἔρωτος ἡδονῆς τε, τὸν τρίτον δ' ὕπνου,
ὃν ἐκπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
οἴκαδε βαδίζουσ'. ὁ δὲ τέταρτος . . .

patris severitatem in exilium profecto taeduisse se vitae lautae ac suavis: vv. 124 sqq.

adsido: accúrrunt servi, soccos detrahunt;
125 *inde alii festinare lectos sternere*
cenam adparare: post se quisque e. q. s.
128 *ubi video, haec coepi cogitare: „hem tot mea*
solíus sollíciti sint causa ut me unum expleant?
130 *ancillae tot me vestiant?“* e. q. s.

in *lectos sternere* facile recognosces στρώματα, ut in *cenam adparare* verbum ἀργυρώματα. sic etiam ordo rectus servatur: primo lavatur (λουτρόν), tum ancillae (θεραπαίνας) erum vestiunt (v. 130), porso lecti sternuntur (στρώματα) et cena in argento escario (ἀργυρώματα) apportatur.

ceterum nota figuram ὁμοιοτέλευτον· στρώματα ἀργυρώματα, cuius membrum posterius una syllaba est longius priore. quod orationis condimentum saepius adhibetur, sed multo frequentius Romanis quam Graecis. cf. hos locos:

Men. Ep. 102 οὐχ εὕρεσις τοῦτ' ἔστιν, ἀλλ' ἀφαίρεσις.
id. Sam. 329 θύματά τε καὶ θυμιάμαθ' ἅπτεθ' Ἡφαίστου βία[1])
Plaut. Amph. 4 *res rationesque* 8 *vos vostrosque*
234 *cadunt volnerum vi viri*
551 *sequór, súbsequór té.*
Poen. 221 *políri, éxpolírí.*
589 *bene et benigne.*
Mil. 887 *male atque malitiose.*
Poen. 134 *gratas gratias.*
137 *gerrae germanae.*
Trin. 825 *saevumque severumque.*
Truc. 434 *amantis . . . unanimantis.*

---

[1]) sic v. videtur restituendus esse. proficiscendum est cum Koertio a numeris tranquillis inde a caesura media ἅπτεθ' Ἡφαίστου βία. in charta perturbatus est ordo rectus 1. *vinum*: [οἶνος] 2. *pulpamentum*: θύματα (cf. Ar. Av. 901) 3. *odores*: θυμιάματα (cf. ibid. 1716). tum oculi scribae aberraverunt retrorsum ab (ἅπ)τεται in τεκαὶ, quo fit, ut θύματ' iteratum sit falso loco. ceterum Suidas pg. 1921 haec confundit θῦμα atque θυμίαμα.

3. (= 142 a K.).

ἐξ ἱσταρίου δ' ἐκρέματο φιλοπόνως πάνυ.

Ter. Haut. v. 281 sqq. Syrus Cliniae narrat, quam modeste Antiphila, amata eius, vitam illo absente egerit, cum de improviso quondam domi eam offendisset:

texéntem télam studiose ipsam offendimus,
mediocriter vestitam veste lugubri
(eiús anus causa, opinor, quaé erat mortua).

ad haec scholiasta cod. Bembini adscripsit teste Umpfenbachio: *offendimus]* offendere . . . nec provisum . . . venerit.

ἐξ ἱσταρίου γὰρ ἐκρέματο φ. π.

γὰρ Meineke corr. in δὲ. — cum ἐκρέματο Kock cf. Ov. Met. IV 35: *aut haerent telae (Minyeides) famulasque laboribus urguent.*

4. (= 142 b K.).

καὶ θεραπαινὶς ἦν μία
αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς διακειμένη.

VII versibus post idem Syrus sic pergit: *anus*
subtemen nebat. praeterea una ancillula
erat; ea texebat una, pannis obsita
neglecta, inmunda inluvie.

scholiasta cod. Bembini annotat:

subtemen] dictum ab eo quod *subeat stamen:* subtemen est trama, stamen quod . . . (haec recedunt ad Varronis d. l. L. V 23).

. . . καὶ θεραπαινὶς ἦν μία
αὕτη συνύφαινεν ῥυπαρῶς διακειμένη.

cf. Ar. Lys. 519. ὁ δέ μ' εὐθὺς ὑποβλέψας ἂν ἔφασκ', εἰ μὴ τὸν στήμονα νήσω
ὀτοτύξεσθαι μακρὰ τὴν κεφαλήν· et Men. fr. 892 K.

Pl. Merc. 518. *possin tu, si ussus venerit, subtemen tenue nere?*

haec duo fragmenta 3 et 4 non in unum debere confundi, id quod fecit Kock, vel e scholiastae lemmatibus intellegitur; alterum ab altero non minus quam VII vv. est seiunctum.

5. (= 145 K.).

⟨καὶ κακόν⟩
οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον —
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.

Stobaeus fl. 39, 11: Μένανδρος Ἑαυτὸν τιμωρούμενος· οἴκοι — εὐδαίμονα. idem fl. 53, 1 omisso fabulae nomine: Μενάνδρου· οἴκοι — ἐλεύθερον. praeter hunc Clemens Alex. strom. VI 2, 7, 6: ἀκήκοα δὲ Αἰσχύλου μὲν λέγοντος·

A. οἴκοι μένειν χρὴ τὸν καλῶς εὐδαίμονα.
B. καὶ τὸν κακῶς πράττοντα; B. καὶ τοῦτον μένειν.

ἀλλὰ καὶ Μενάνδρου ὧδέ πως κωμῳδοῦντος·
οἴκοι κτλ.

v. Aeschyleum priorem verbo χρὴ in δεῖ mutato afferunt Diogenianus 7, 35.

in his sententiis, et Aeschylea et Menandrea, de nihilo alio agitur nisi de hoc: *domi manere oportet.* apud Aeschylum est διχοτομία μετ' ἀναφορᾶς: alter dicit:

οἴκοι μένειν χρὴ (a) τὸν καλῶς εὐδαίμονα, interrogat alter:

καὶ (b) τὸν κακῶς πράττοντα; respondet prior ille anaphorice: καὶ τοῦτον μένειν (scil. χρὴ οἴκοι). habemus igitur duo subiecta, sed unum tantummodo verbum bis positum. respice, quaeso, ad verba Menandri. illic quoque verbum οἴκοι μένειν iteratur simplici μένειν:

οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον.

sed unum modo exstat subiectum ἐλεύθερον, quod respondet illi καλῶς εὐδαίμονα apud Aeschylum. itaque ad verbi anaphoram alterum desideratur subiectum, quod par sit illi alteri (b) κακῶς πράττοντα. quid veri est similius quam hoc: illud exstitisse in fine versus praecedentis? tum omnia recta se habent:

⟨καὶ (a) κακόν⟩
οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν (sc. χρὴ οἴκοι) (b) ἐλεύθερον.

hanc verbi μένειν anaphoram non perspexit Kock, qui pro καὶ μένειν conicere audet Παρμένων; sed doleo me hucusque nondum vidisse Parmenonem adulescentem apud comicos[1]).

progrediamur ad v. secundum, qui et ipse habet difficultatem non mediocrem:

---

[1]) Pl. Bacch. 649: *Pármenónes Syrí*

⟨καὶ κακόν⟩
οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον —
2. ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.

hoc, ut opinor, unusquisque videt v. 2 appendicem esse ad solum ἐλεύθερον v. 1. hoc dicit: *liberum et ingenuum virum decet domi manere*, ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα. sic dissentiunt docti:

aut potius mori: Grote.

aut e beatorum illorum numero recedere, non ut apud Grotium est: aut potius mori: Meineke V 248.

aut potius mori *Grotius recte interpretatur, quod moneo contra Meinekium:* Kock.

immo Meineke recte interpretatus est verba poetae. nam hoc dicit: οἴκοι μένειν χρὴ (*= opus est*) ἄνδρα ἐλεύθερον, ἢ (=ἐὰν τοῦτο μὴ ποιῇ [1]) εἰκός ἐστιν (*= necesse est, es ist unumgängliche Folge*) οὐκέτι αὐτὸν εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα (scil. *qualem omnes eum noverant* [2]). sunt igitur duae sententiae: prior, qua exprimitur voluntas (χρή), posterior, qua consecutio (εἰκός ἐστιν vel: οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ). tum posterior sententia subiuncta est priori (χρή), quo factum est, ut οὐκέτι mutaretur in μηκέτι, quamquam huic posteriori ne minima quidem finalis inest notio. quod eo facilius poterat fieri, quod Graeci in sententiis consecutivis, quibus consecutio ut necessaria exprimenda est, ὥστε cum μή et infin. coniungunt. sic igitur percipio hoc fragmentum: *Der Geringe soll zu Hause bleiben, und auch der Angehörige der besseren Kreise, oder er kann seine bisherige Stellung in der Gesellschaft nicht länger behaupten.* cf. Men. fr. 582. πατρῷ' ἔχειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα (= *wer zu den Bessersituierten gehören will, muß . . .*).

de loco fragmenti intra fabulam adhuc nihil liquet. *haec Chremetis verba esse suspicari licet Cliniae patriam relinquendi consilium vituperantis*, Meineke. Chremetis esse debent verba, tantum constat; sed colloquium eius cum Clinia de exilio vitando nec agitur

[1]) Ar. Pl. 1028 sqq. ἀναγκάσαι δίκαιόν ἐστι νὴ Δία
τὸν εὖ παθόνθ' ὑπ' ἐμοῦ πάλιν μ' ἀντευποεῖν,
ἢ μηδ' ὁτιοῦν ἀγαθὸν δίκαιός ἐστ' ἔχειν.
(*oder er verdient notwendigerweise auch nicht das geringste Gute*).

[2]) verba τὸν καλῶς εὐδαίμονα spuria censet de Wil.

nec narratur nec omnino potest fuisse in Hautontimorumeno, quia adulescens seni in initio fabulae (cf. 180 sqq.) plane ignotus est. itaque solus restat dialogus duorum senum (I 1). ibi Menedemus Chremeti de nimia sua in filium severitate refert haec:

(cottidie accusabam:) „
110. *„ego istuc aetatis non amori operam dabam,*
„sed in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi
„simúl rem et belli gloriam armis repperi“.
postremo adeó res rédiit: adulescentulus
saepe eadem et graviter audiendo victus est: . . .
117. *in Asiam ad regem militatum abiit, Chremes.*
Chr.] *quid ais?* Men.] *clam me est profectus, mensis tris abest.*
Chr.] ***ambo accusandi:***

cur ambo sunt accusandi? ⟨καὶ κακὸν⟩

οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον —
ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.

Menedemus filio malum proposuit exemplum, cum ipse *propter pauperiem* (=κακός, κακῶς πράττων) e patria abiit. nam pauperem quoque domi manere opus est; quanto magis[1]) laute viventem (ἐλεύθερον, καλῶς εὐδαίμονα), i. e. filium Cliniam! — hic quoque Terentius omisit sententiam generalem.

6. (= 146 K.).

μετ' *ἄριστον* γάρ, ὡς ἀμυγδάλας ἐγώ
παρέθηκα καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν . . .

Athenaeus pg. 651 a: Μένανδρος δ' ἐν Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ ῥοίδια αὐτὰς (τὰς ῥοὰς) ὠνόμασε διὰ τούτων· κτλ.

v. 1. μετ' ἄριστον et metri et rei causa corruptum est, nec bene, ut retineret, Bentleius eiecit rectum ἐγώ in fine versus. quod quamquam supervacaneum videtur, tamen permultis exemplis e Menandri comoediis repetitis satis superque defenditur; cf. Epitr. 37. 80. 148. 225. Sam. 31 alibi. una tantummodo cena describitur in Terenti fabula: ea quam Chremes Bacchidi eiusque comitibus dat (vv. 455—462). quae nullo modo potest ἄριστον appellari. iam

---

[1]) cf. Apollodor. fr. 10 K (III 290):
ταχύ γε στρατιώτης γέγονας ἀντ' ἐλευθέρου.

multo ante quam Bacchis in Chremetis domum adducitur, Syrus dicit haec (v. 248):

et vésperáscit et non noverunt viam.

v. 410. autem, cum Chremes vicino omnia est narraturus, iam mane insequentis diei dicitur *(luciscit hoc iam)*. haec cena, quae sub vesperum est, δεῖπνον vocabatur Atheniensibus; statim sequebantur συμπόσια, quibus saepe intererant meretrices: cf. quae cocus quaerit Sam. 72 sqq.:

εἰ πυνθάνομαι, πόσας τραπέζας μέλλετε
ποεῖν, πόσαι γυναῖκές εἰσι, πηνίκα
ἔσται τὸ δεῖπνον κτλ.

in Hautontimorumeno autem fuisse συμπόσιον et scimus e Terentio et licet concludere ex eis quae apponuntur: ἀμυγδάλαι καὶ ῥοίδια. talia enim et praeter haec ciceres ad vinum solebant manducare veteres; cf. Xenophanis in sillis (= 9 H = 17 B):

ἔμπλεον ὄντα
πίνοντα γλυκὺν οἶνον, ὑποτρώγοντ' ἐρεβίνθους.

hoc igitur certum est, μετ' ἄριστον retineri non posse; sed si scribis: μετὰ δεῖπνον ⏑́ γάρ, ὡς ἀμυγδάλας ἐγώ, una syllaba deest. quamquam, ni fallor, δεῖπνον poterat appellari etiam δείλινον, quod verbum servatur Coniaz. 7 Körte. hoc, quod et numeris et sensui sufficit, velim commendare:

μετὰ δείλινον γάρ, ὡς ἀμυγδάλας ἐγώ
παρέθηκα καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν . . .

7. (= 148 K.).

ἀλλ' ἦν χιτών σοι . . .

Photius s. v. ἤν· δασέως (i. e. ἥν), ὅταν ἠθικῶς λέγηται. οἱ παλαιοί· ἐν δὲ Μενάνδρῳ, Αὑτὸν τιμωρουμένῳ, τόδε ψιλὸν (i. e. ἦν) ἀντὶ τοῦ „ἰδοῦ“· κτλ.

in codd. male distinctum est οἱ δὲ παλαιοὶ ἐν Μενάνδρῳ. apud Terentium nemini χιτών offertur; sed fortasse haec verba spectant ad Menedemi ancillas erum vestientes (v. 130).

8. (= 147 K.).

. ταῦτά σοι καὶ Πύθια
καὶ Δήλια.

Zenob. 6, 15. ταῦτα κτλ.· ἡ παροιμία εἴρηται ἐπὶ τῶν ὕστατα

καὶ τελευταῖα ποιούντων. μέμνηται δ' αὐτῆς Μένανδρος (ἐν Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ add. cod. Milleri, cf. Mél. de Litt. Gr. 356).

Photius s. v.: Πύθια', item Epicuri ad Idomenea quandam epistulam citans. cf. Suid. s. v. Apostol. 15, 9.

in loco quaerendo nihil proficies; Terentius hanc dictionem Romanis plane ignotam debuit omittere.

duo quae sequuntur fragmenta abiudicanda sunt Hautontimorumeno Terenti.

[9. (= 143 K.).]

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Ter. Haut. v. 384. Bacchis Antiphilae virgini haec dicit:

nám mihi quále ingenium haberes, fuit indicio oratio.

ad hunc v. ascripsit scholiasta cod. Bembini:

. . . Αανδρος χ. κτλ., quod ego sic legere velim:

⟨Μέν⟩ανδρος· ⟨ἀνδρὸς⟩ χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

fuerunt, ni fallor, qui haec a femina ad feminam dicta putarent! Menandri sententiam esse demonstratur Orionis testimonio, qui I 11. eam affert: ἐξ Ἀρρηφόρου Μενάνδρου (= fr. 72 K.). praeterea traditur in monostichis Menandreis 26 et apud Stobaeum in append. flor. 163 b: ἑτέρων· κτλ., omissis et poetae et fabulae nominibus. qualem sententiam quamquam nihil obstabat, quin poeta aliquando repeteret, tamen e duarum feminarum colloquio prorsus est eicienda; cf. Ihnium pg. 42.

[10. (= 144 K.).]

πᾶς πατὴρ μῶρος.

Ter. Haut. v. 440 sq. Chremes Menedemo, qui omnia perferre vult, dum filius redeat, haec dicit:

vehemens in utrámque partem, Menedeme, es nimis,
aut largitate nimia aut parsimonia.

idem scholiasta ascripsit: . . . πᾶς πατὴρ μῶρος . . .

quae sententia, Menandrea, ut opinor, ad hunc locum vix quadrat, quippe quo duo patres colloquantur. dictum est adulescentis cuiusdam; cf. quae profert Clitopho v. 213:

quam iníqui súnt patrés in omnes adulescentes iudices!
qui aequom esse censent nos a pueris ilico nasci senes.

Donati in Hautontimorumenon Terentianam commentarius plane interiit.

V. De Phormionis exemplaris reliquiis.

Phormionem Terentius transtulit ab Apollodoro Carystio, cuius comoediam quae vocabatur *Epidicazomenos* ut exemplum ipse nominat[1]): sine ulla necessitate Bentleius fabulam Graecam non Ἐπιδικαζόμενον, sed Ἐπιδικαζομένην coniecit inscriptam fuisse. cui nomen inditum est a parasito, qui in iudicio sibi ipsi ut virginis tutori adiudicandam curat facultatem, qua sibi liceat cogere Antiphonem adulescentem, ut illam ducat. in quo virgo nihil agit, immo primae partes etiam apud Apollodorum parasiti erant.

Epidicazomenu Apollodori fragmenta.

Meineke, fr. com. Graec. IV pgg. 446, 7; Kock, com. Att. fr. III pgg. 285—287.

1. (= 15 K.).

ἡμεῖς δὲ ⟨– ⏑ –⟩ συνε⟨πε⟩μελούμεθα.

Ter. Phorm. v. 87. Geta Davo narrat, quomodo una cum erili filio huius consobrinum Phaedriam amantem adiuverit:

nos ótiósi operam dabamus Phaedriae.

ad haec adnotat Donatus:

nos otiosi] Apollodorus:

ΗΜΗϹΕΙϹ ΔΕ ϹΗΝΕΜΛΗΜΕΘΑ: cod. V.
ΝΑΛΚΕΙϹ ΔΕ ϹΥΝΕΜΑΛΜΕΘΑ: cod. Cuiac.
ΑΝΑΛΚΕΙϹ ΔΕ ϹΥΝΕΜΑΜΜΩΑ: cod. Antverpens Mein.

i. e. ἡμιςεις δὲ συνεμελουμεθα.

ἡμιςεις est dittographia orta ex *itacismi* correctura. lacuna post δὲ statuenda est, in qua certe exstitit nomen adulescentis, velut Φαιδρίου, vel, quia Terentium ut alibi permutasse nomina verisimile est, Κλεινίου, Χαιρέου, Φειδίου, Παμφίλου.

---

[1]) prol. vv. 24—29; didascalia *Graeca Apollodoru Epidicazomenos*; Donat. ad v. Ter.

2. (= 891 adesp. K.).

– – – – πλίνθον πλυνῶ.

Photius s. v. ὄνου πόκαι· ἐπὶ τῶν ἀνηνύτων καὶ τῶν μὴ ὄντων λέγεται ἡ παροιμία ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν. ὥσπερ αἱ τοιαῦται· πλίνθον πλύνειν, ἀσκὸν τίλλειν, χύτραν ποικίλλειν, εἰς κοπρῶνα θυμιᾶν.

Ter. Phorm. v. 186. Geta haec deliberat:

loquárne? incéndam; táceam? instígem; purgem me?
laterem lavem.

procul dubio Apollodorus hoc proverbio usus erat in Epidicazomeno, unde Terentius transtulit adnominationem consonantium pulchre imitatus: *laterem lavem.* apud Graecum suspicor exstitisse item in fine versus, et quidem tempus fuisse futurum (cf. *incendam* Terenti, quod potest esse fut.):

———————————————— πλίνθον πλυνῶ.

talia enim Graeci quoque ad versuum exitus removent; cf. ἂν θεὸς θέλῃ; Prom. Desm. 9 δοῦναι δίκην; Soph. Oed. reg.; φήμην φέρων; 118 φόβῳ φυγών; alibi.

3. (= 18 K.).

τῶν ὤτων ἔχω
τὸν λύκον

Ter. Phorm. v. 506. Phaedria Antiphonem fortunatum dicit, cui quod amet domi sit. ille autem:

mihin domíst? immo íd quod áiunt, auribus teneo lupum:
nám neque quó pacto á me amíttam neque uti retineam scio.

ad haec Donatus:

auribus teneo l.] Graecum proverbium: τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον· οὔτε γὰρ ⟨κατ⟩έχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.

Macar. 8, 44: τὸν λ. τῶν ὤ. ἔχειν· ἐπὶ τῶν ἐν κινδύνῳ καθεστώτων· οὔτε γὰρ κατέχειν οἷόν τε οὔτε ἀφεῖναι ἀκίνδυνον.

Aristaenet. ep. 2, 3 extrem.: ἐγὼ γὰρ τὸν λύκον τῶν ὤτων ἔχω, ὃν οὔτε κατέχειν ἐπὶ πολὺ δυνατόν, οὔτε μὴν ἀκίνδυνον ἀφεῖναι.

significavit de hoc proverbio auctor ille, quem imitatus est Caecilius vv. 79. 80 (R² II 49):

nam hi súnt inimíci péssumí, fronte hilaro, corde tristi,
quos néque ut adpréndas neque uti dimittas scias.

nota Terentium paulo rectius vertere quam Caecilium: qui κατέχειν

exprimit verbo *adprendere*, ἀφιέναι v. *dimittere*, Terent. κατέχειν exprimit verbo *retinere*, ἀφιέναι v. *amittere*. et *dimittere* et *amittere*, utrumque bene exprimit Graecum ἀφιέναι; sed κατέχειν hic non valet *adprendere*, quia homo iam tenet auribus lupum, sed *retinere*, ne morsibus laceretur.

4. (= 19 K.).

μόνος φιλεῖν ⟨γὰρ⟩ τοὺς φίλους ἐπίσταται.

Ter. Phorm. v. 562. Antipho adulescens Getae Phormionem sibi adiutorem expetenti haec dicit:

solus est homo amico amicus.

Donatus haec: *solus e. h. a. a.]* Apollodorus:

μόνος ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους.

Guyetus verbo ἐπίσταται in ultima versus sede reposito post φιλεῖν inseruit γάρ, quod ad locum Terentianum optime quadrat. nam ideo adulescens parasitum commendat, quia eius amicitiae magis quam alius cuiusquam hominis confidit.

5. (= 20 K.).

——————————————— # ⟨νόσος⟩

τὸ γῆράς ἐστιν αὐτό.

Ter. Phorm. vv. 574 sq. Chremes senex Demiphoni roganti, cur tam diu Lemni sit moratus, haec respondet:

pol me detinuit morbus. ille] *unde, aut qui?* Chr.] *rogas?*
senectus ipsast morbus.

ad haec cf. Donatum:

senectus ipsa m. e.] Apollodorus: τὸ γῆράς ἐστιν αὐτό.

τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ ⟨νόσημα⟩ exhibet ed. princeps; sed rhythmo dactylico αὐτὸ | νόσημα verbi fine lacerato foedissime nota illa lex metrica laeditur. iam vero eadem verba sine auctoris nomine Hensio teste exstant in Vossiano cod. Stobaei fol. 69r in margine supr. m. 5 (Kock). statuendum erit illa verba a recentissimo quodam nec satis numerorum perito homine suprascripta nullam fidem habere. immo ⟨νόσος⟩ in fine v. praecedentis exstiterit, ibi, ubi Terentius posuit *rogas?*, quod eius videtur proprium. nam quia verba *senectus ipsast morbus* totidem syllabae erant, quot Apollodori τὸ γῆράς ἐστιν αὐτό, locus verbi νόσος fiebat vacuus: ibi posuit *rogas?*

in annotatione Donati ⟨νόσος⟩ aliquo modo suspicor intercidisse post Apollodorus, sive Latinis litteris perscripta fuerunt verba sive Graecis (cf. Hecyr. fr. 6).

6. (= 21 K.).

ἐγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς ⟨μόνος⟩.

Ter. Phorm. vv. 585 sqq. Chremes haec loquitur:

vereorque ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
quod si fit, ut me excutiam atque egrediar domo,
id restat: nam ego meorum solus sum meus.

Donatus ad v. 587 adnotat:

nam ego m. s.] Apollodorus:

et ξο γαρ ΕΝΜΕΝΤΟΜΕΜΟCΕΤ : cod. R.

i. e. ἐγω γαρ εἰμι ἐμων ἐμος [*et* nihil valet].

interciderunt igitur articulus τῶν ante ἐμῶν et in fine μόνος post ἐμός ob ultimarum litterarum similitudinem. haec iam vidit Guyetus. altera quae exstat lectio Grotii minus placet: ἐγὼ μόνος γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμός, et ob caesuram et quia μόνος inter ξο et γαρ non tam facile interciderit quam post ἐμός. quod Kock inducit formam μοῦνος, hoc non potest probari.

7. (= 23 K.).

– – ⏑ – ⟨μοι⟩ μυρίας ⟨γραφέτω δίκας⟩.

Ter. Phorm. v. 668. Demipho senex, qui Phormionis condiciones recusat ne accipiat, haec exclamat:

sexcéntas próinde scribito iam mi dicas.

Donatus:

(1) *sexcentas p. s. i. m. d.]* perspicere hinc licet consuetudinem sermonis, nam Apollodorus μυρίας dixit pro *multis*.

(2) et ut apud Graecos μυρία, ita apud nos *sexcenta* dicere pro *multis* usitatum est. Cicero (in Verr. II 1, 47, 125): *sexcenta possum decreta proferre.*

fere certum est Apollodorum scripsisse μυρίας . . δίκας, nec potest negari verbum *scribere* tam alienum esse a sermone Latino, ut cogamur illum scripsisse putare γράφειν. item legimus Plaut. Aul. 760: . . . *ád praetórem rápiam et tibi scribám dicam* (i. e. γράψω

δίκην). sed etiam dativus personae, cui scribitur dica, debetur sermoni Graeco, ut docet hic locus:

Ar. Nub. 758: εἴ σοι γράφοιτο πεντετάλαντός τις δίκη.

ceterum Brunckius ad Ar. Av. 1052: *Graece dicitur* γράφομαί σε μυρίας δραχμάς, *vel* γράφω σοι μυρίας δραχμάς.

de verbo μυρίοι hoc est notandum: in numeris iambicis claudit metra, in numeris trochaïcis aperit, ita ut non ex uno metro traducat in alterum. velut metrum III. claudit apud Aristophanem his locis: nub. 685, av. 1139. 1305. Thesm. 475. ran. 90. 143. Plut. 1184, apud Menandrum Epitr. 55. 289; metrum II. apud illum: nub. 1041. av. 231, Thesm. 927; cf. Eurip. fr. 575, 3; 816,8; metrum I. claudit in Arist. Plut. 1083. unus v. Aristophaneus, in quo μυρίας ex altero metro traducit in tertium, av. 1052:

ἀπολῶ σε καὶ γράφω σε μυ | ρίας δραχμάς,

aperte corruptus est et corrigendus hunc fere in modum:

ἀπολῶ σε καὶ σοι μυρίας γράψω δραχμάς.

(καί est explicativum, quo tempus futur. γράψω commendatur.) numeros trochaicos illud verbum aperit in Menandri Sam. 256. Peric. 84. quare haec licet conicere scripsisse Apollodorum:

⏒ – ⏑ – ⏒ μυρίας ⏒ – δίκας.

imperativi forma *scribito* („*mag er beantragen*") etiam Graeco sermoni propria est: Soph. Ai. 961: γελώντων κἀπιχαιρόντων κακοῖς; Ar. nub. 1142: δικαζέσθων; Lys. 362: παταξάτω τις; 491: δρώντων. quae cum ita sint, licet pro *scribito* inducere γραφέτω, totum fragmentum, quantum possumus, sic informare:

– – ⏑ – ⟨μοι⟩ μυρίας ⟨γραφέτω δίκας⟩.

restant tria fragmenta, quorum transscriptio tantummodo, non verba ipsa servantur.

9. (= 17 K.).

Ter. Phorm. v. 48. Davus de laboribus, qui Getae amico impendant, haec profert:

porro autem Geta
ferietur alio munere ubi era pepererit.
porro autem alio, ubi erit puero natalis dies,
ubi initiabunt.

ad haec Donatus:

ubi initiabunt] „legitur apud Varronem (Catus vel de liberis educandis) initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, dis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis transierint: quod Vergilius (ecl. IV 63): *nec deus hunc mensa dea nec dignata cubili est.*“ hoc annotavit Probus; sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur initiis Samothracum a certo tempore pueros imbui more Atheniensium, quod ut in palliata probandum est magis.

alter est locus (praeter Eunuchi fr. 1), quo grammaticus pugnat contra Probum, quem exemplaria Graeca in Terentio interpretando nimis arguit neglexisse. porro ex hac adnotatione discimus etiam in Epidicazomeno unum servum (illum quoque personam protaticam) alterum exspectasse, quorum e dialogo fabulae fundamenta cognoscerent spectatores.

9. (= 17 K.).

Ter. Phorm. v. 482. Antipho adulescens, quia pater eius patrui consilium secuturus est, haec dicit:

quántus métus est míhi vidére huc salvom nunc patruom, Geta!

Donatus:

huc salvom nunc p. T.] non optat salvom patruom venire secundum Apollodorum, et ostendit non congruere salutem eius cum commodo suo.

10. (= 22 K.).

Ter. Phorm. v. 646. Geta de colloquio suo cum Phormione habito haec refert:

quod dixi adeo ei: „quaeso, quid si filiam
suam unicam locaret? parvi re tulit
non suscepisse: inventast quae dotem petat.“

ad quae annotat Donatus:

non susc. i. e. p. d.] in Graeca fabula s e n e x hoc dicit: *quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienae?*

quibus possis adicere unum locum nomine fragmenti vix dignum, Ter. Phorm. v. 281, quo Phaedria Antiphonis nuptias apud eius patrem defendit his verbis:

fúnctus ádulescéntulíst
offícium líberális[1]).

annotat Donatus:

(3) et hoc de Apollodoro.

Testimonia:

1. Donat. praef. ad. Phorm. I 1: *Phormio* Graeca lingua fiscus sparteus et stramen nauticum . . . dicitur: a cuius rei vel capacitate vel vilitate etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur. — de Phormione Seleuci parasito cf. Athen. VI 244.
2. Donat. ad Phorm. 339: (1) haec non ab Apollodoro, sed de ⟨Ennio⟩ translata sunt omnia (= sat. VI vv. 14—19 V[3]).
3. Donat. ad Phorm. 91, quo loco Geta Davo haec narrat:

in quo haec discebat ludo, exadvorsum ei loco
tonstrina erat quaedam: hic solebamus fere
plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
interea dum sedemus[2]) *illi, intervenit*
adulescens quidam lacrumans. nos mirarier;
rogamus quid sit . . .

Donatus ad v. 91 (4):

intervenit] Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit, qui dicat se nuper puellae comam ob luctum abstulisse[3]), quod scilicet Terentium mutasse, ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet.

fortasse tonsor in publico verba faciens re vera haec fuit causa, cur Terentius personam narrantem e tonsore mutaret in adulescentem ingenuum.

---

[1]) Ter. Ad. 463. 4:

neque boni
neque liberalis functus officiumst viri.

[2]) Plut. de garr. 13: ἐπιεικῶς δὲ λάλον ἐστὶ τὸ τῶν κουρέων γένος. οἱ γὰρ ἀδολεσχότατοι προσρέουσι καὶ προσκαθίζουσιν ὥστε αὐτοὺς ἀναπίμπλασθαι τῆς συνηθείας. bene imitatus est vitam Apollodorus. cf. Ar. Plut. 337. Hor. sat. I 7, 3. Plaut. Amph. 1013. iocose inducitur Amphitruo, qui Naucratem quaeritavit *in medicinis, in tonstrinis.* Polyb. III 20, 5.

[3]) circumibant igitur etiam per familias, quod idem facit tonstrix Sura Pl. Trucul. 405, 7; feminae enim non veniebant in tonstrinas.

in quo tantum constat illam Terenti libertatem narrationi, quod attinet ad ἦθος, commodo non fuisse; iste κουρεύς erat, ut ita dicam, persona medii vel imi gradus; nunc autem Antiphoni alterum adulescentem pauperem quidem, sed ingenuum opposuit ut amatorem infortunatum, ut rivalem iam inde ab initio inferiorem. qua re spectatorum movetur συμπάθεια, cum misereat eos illius.

VI. De Hecyrae exemplaris reliquiis.

Hecyra altera est fabula, quam totam ex Apollodoro Carystio transtulit Terentius[1]).

Apollodori Hecyrae fragmenta.

Meineke, fragm. com Graec. IV pgg. 444, 5. Kock, com. Att. fr. III pgg. 283, 4.

1. (= 8 K.).

ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισιν Σύρα
βέβαιος.

Ter. Hec. v. 58. Philotis meretrix Syrae lenae haec dicit:

per pól quam páucis (codd. *paucos*) *reperias meretricibus*
fideles evenire amatores, Syra![2])

ad quae annotat Donatus:

(5) *quam paucos*] quidam non *paucos*, sed *paucis* legunt; sic enim Apollodorus: ὀλίγαις κτλ.

variarum lectionum, quae in Donati commento afferuntur, illa (*paucos*) quamquam in omnibus Terenti codd. legitur, tamen est refutanda: nam primum prorsus non est perspicuum, qua ratione adductus hoc uno verbo Terentius recesserit ab exemplari, cum nec metrum nec sententiarum contextus non modo non flagitaret, sed ne permitteret quidem. nam illa quae nunc exstant in codd., haud modice peccant contra omnem rationen. quid enim hoc est:

[1]) prol. (I) vv. 1—3: didascalia Pighiana *tota Graeca Apollodoru*, in cod. Bembino falsa est *Graeca Menandru*; cf. Donat. lemm.; Donat. ad vit. Ter.

[2]) imitatus est, ut videtur, Apollodorus verba Menandri, quae erant in *Andria*; cf. Ter. Andr. vv. 459. 60:

ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:
fidelem hau ferme mulieri invenias virum.

pauci amatores fideles eveniunt meretricibus? quibusnam? quaero; suis, inquit. sed non necessario ad amatorem desideratur meretrix, potest etiam virgo aut mulier. immo hoc dicit: *paucis meretricibus fideles eveniunt amatores.* quinam? suus cuique. hic non agitur de magno vel parvo amatorum numero, — spurius est ille pluralis et ortus e plurali *meretrices* (cf. n. sing. ἐραστής) —, sed de meretricum numero agitur, quarum quotae cuique fidelis eveniat amator (= ὁ ἐραστής). utilissimum est cum hoc versu Apollodori conferre alium quendam, quem transtulit Afranius in *Vopisco* (vv. 378. 9 R[2] II 213):

si póssent hómines délenímentís capí,
omnés haberent nunc amatores anus.

in quibus *omnes* et *anus* sunt nominativi, ut sententia sit haec: *omnes anus haberent amatores* (= τὸν ἐραστήν); non: *anus haberent omnes* (acc.) *amatores.* id igitur verbum, quod exprimit numerum (*omnes, paucae*) nisi ad feminas non recte refertur. denique si cui frustra videar locutus esse, hoc deliberet quaeso varia lectione *paucos:*

per pol quam paucos reperias meretricibus
fideles evenire amatores, Syra!

totam periodi concinnitatem a poeta summa cum arte elaboratam misere deleri; nam duo verba *reperias* et *evenire* binis inclusit nominibus *paucis . . . meretricibus* et *fidelis . . . amatores.* quare haec lectio recta est sola:

per pol quam paucis reperias meretricibus
fidelis evenire amatores, Syra!

ex hoc fragmento discimus, ni fallor, et in fabula Graeca lenam meretricemque fuisse personas protaticas et Terentium exemplaris nomina personarum interdum non mutasse.

2. (= 9 K.).

⟨γύναι⟩ σύ με παντάπασιν ἥγησαι λίθον.

Ter. Hec. v. 214. Laches senex in Sostratam coniugem invehitur his:

. . . *tu, ínquam, múlier, quaé me omníno lapidem, non hominem putas.*

Donatus:

(5) *non hominem p.]* sic Apollodorus: σύ με κτλ.

numeris in codd. servatis unus deest in initio iambus, quo loco

reponendum arbitror verbum ΓΥΝΕ (: γύναι Men. Epitr. 443. Georg. 43 in v. initio), quod ante CYME facile potest intercidisse. παντάπασιν eodem v. loco conspicitur in Men. Peric. 168. Georg. 68, ad λίθον cf. Ar. Nub. 1202, ad *lapidem* Pl. Merc. 632. Most. 1073.

hic quoque Terentius induxit personarum mutationem: So.] *egon?* La.] *tu, ínquam, múlier, quáe* . . .; apud Apollodorum una tantum est periodus: σύ με . . . ἥγησαι.

3. (= 10 K.).

οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες τὸν χρόνον κερδαίνομεν,
ὅσον ἂν ποτ' ἀγνοῶμεν ἠτυχηκότες.

Ter. Hec. v. 286. Pamphilus adulescens secum collocutus hanc profert sententiam:

nám nos ómnes, quíbus est álicunde aliquis obiectus labos,
omne quod est interea tempus, priusquam id rescitumst, lucrost.

annotat Donatus:

(5) et totum Apollodori est, qui sic ait:

ΟΙ ΓΑΡ ΑCΙCΟΥΝΙΕC ΤΟΝ ΧΡΩCΝ ⟨———⟩ΟΥΔΙΕΝ⟨———————
ἁ γὰρ ἀτυχουν ὕες τ⟨———————————⟩ον κερδαινομένοσὸν αν απο
———————⟩ ΚΙΤΙΚΗΚΟΤΗC : cod. Cuiac.
τε αγνωμέ κιγιχηκοτες : cod. V².

utriusque codicis lectio lacunis est lacerata. in cod. V² oculi librarii aberraverunt ab articulo τὸν in exitum verbi χρόνον, in cod. Cuiacii a χρόνον in κερδαιν- et a fine verbi κερδαίνομεν in ἀγνοῶμεν. sed placuit Fortunae omnia ea, quae in altero cod. interierunt, redonare nobis in altero. nota scripturam χρωον pro χρόνον, quacum potest comparari illa frg. 2. Adelphorum γρωνον pro γρόνθον (?).

4. (= 11 K.).

οὕτως ἕκαστος, ⟨ὡς ἂν ᾖ⟩ τὰ πράγματα,
⟨καὶ⟩ σεμνὸς ἡμῶν καὶ ταπεινὸς γίνεται.

Ter. Hec. v. 380. idem Pamphilus haec philosophatur:

ómnibus nobis út res dánt sese, ita magni atque humiles sumus.

Donatus haec:

omnibus n. u. r. d. s. i. m. a.] mire dixit: *dant sese*[1]. Homerus (σ 136. 7):

[1] non adeo *mire* (cf. Don. ad Eun. 26), ut non iam ante illum dixerit Ennius (v. 269 V):

quí volt ésse quód volt, ita dat se res, ut operam dabit

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

hic ex illo et ualidus dixit. et est haec catholica sententia. Apollodorus:

οὗτος ἐκαστος διὰ τὰ πράγματα
σεμνος ἡμῶν καὶ τάπινος *sinete:* cod. K.

sinete: corr. Wessner in γίνεται: in eph. philol. Berol. 26 (1906) col. 767. haec igitur habemus:

οὕτως ἕκαστος, *δια τὰ πράγματα,
⟨καὶ⟩ σεμνὸς ἡμῶν καὶ ταπεινὸς γίνεται.

verbum ἕκαστος a suo genetivo ἡμῶν sermonis Attici more compluribus verbis interpositis est seiunctum; cf. Men. Epitr. 549. 50, monost. 434, Stratonis e Phoenicid. (K. III pg. 361).

praepositionem δια v. 1. corruptam censeo. nam quamquam non ignoro διὰ c. accus. vigere apud comicos atque idem valere quod *per* (Ar. Plut. 130. 1. 3; 143. 5), tamen hoc loco τὰ πράγματα debet esse nominativus, et quidem subiectum eius sententiae, quam Terentius expressit sic: *ut res dant sese.* praeterea desideratur coniunctio ὡς referenda ad οὕτως; nam et in Homero habemus: τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν . . ., οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι . . ., et apud Ennium: *ita dat se res, ut operam dabit*, at apud Terentium: *ita magni . . . sumus, ut res dant sese;* cf. etiam Philem. 100 K.

τὰ πράγμαθ' ὡς πέφυκεν, οὕτω γίνεται.

ὡς facile poterat intercidere post ἕκαστος, et ΔΙΛ fere idem est atque ἄν. quare scripsi:

οὕτως ἕκαστος, ⟨ὡς ἂν ᾖ⟩ τὰ πράγματα,
καὶ σεμνὸς ἡμῶν καὶ ταπεινὸς γίνεται.

ὡς ἂν ᾖ τὰ πράγματα, scil. γεγενημένα, quod subaudiendum est e verbo sententiae principis γίνεται. sententia tota haec est: *eodem modo, quo res fiunt, nos quoque fimus magni et humiles.* interdum cogitaram de ⟨οἷ' ἂν ᾖ⟩, sed nescio an non recte coniungantur οὕτως . . . οἷα.

5. (= 12 K.).

[calvus].

Ter. Hec. v. 440. Parmeno servus Callidemidis, hospitis Myconii (vv. 433; 801. 3), figuram his verbis describit:

at fáciam ut nóverís:
magnús, rubicúndus, crispus, crassus, caesius,
lentiginosa facie.

Donatus annotat:

(3) *magnus, rubicundus, c.]* imperite Terentium de Myconio *crispum* dixisse aiunt, cum Apollodorus *calvum*, quod proprium Myconiis est, ut Lucilius (fr. 112 M.): *Myconi calva omnis iuventus*; unde etiam proverbium Graecum: **mirachonos**. sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium *crispum* dixisse.

Wessner in editione pro corrupto proverbio inseruit: μία Μύκονος, cuius forma plenior haec est: πάνθ' ὑπὸ μιᾶς Μυκόνου. sed quemadmodum illud cadat in hunc locum, non potest intellegi. nam omnes, apud quos servatur, — sunt autem Apostol. 14, 5; Eustath. ad Dion. Perieg. pg. 525; Greg. Cypr. cod. Leid. 3, 5 —, in eo concinunt positum esse proverbium ἐπὶ τῶν μιᾷ δίκῃ καταδικασθέντων, sive quod Hercules ob iniuriam sibi illatam omnes insulae incolas uno supplicio affecit, sive quod vincula solvit gigantibus sub insulam deiectis, ut ait Strabo pg. 487 (= Steph. Byz. 460 M.). at in toto Donati lemmate de hoc uno agitur Myconios fuisse *calvos*; unde etiam proverbium ortum esse et Donatus ipse dicit et comprobatur verbis Dionysi Periegetae, qui pg. 205, 28 (Bernh.) haec: ἐπιχωριάζει δὲ τοῖς Μυκονίοις φαλάκρωσις. διὸ καὶ φαλακροὶ Μυκόνιοι λέγονται. quae secutus Kock apud Donatum Μυκόνιος φαλακρός iubet restitui, et certe quidem meliore cum iure quam quo Wessner iubet μία Μύκονος. nam in lectione tam incerta haud licere arbitror Donato tantam stultitiam imputare. ceterum prorsus est dubium, rene vera in litteris *mira* lateat μία; mihi quidem nihil aliud in cod. videtur exstare nisi Μύκονος, sed

KO
falso scriptum et correctum: MIXONCC = MIKOXONOC = *mirachonos*. et verba Μύκονος atque Μυκόνιος fere idem esse in Donati codice comprobatur his scripturis: ἰδωτισμῷ = ἰδιωτισμῷ, aliis. quodsi remansit solum nomen insulae vel insulani, apparet intercidisse aliquid, quo significaretur ἡ φαλάκρωσις. Kock igitur scripsit Μυκόνιος φαλακρός, quo melius hucusque nihil est commendatum.

Terentius in versibus suis magis adnominationi (*crispus, crassus,*

caesius) videtur studuisse quam accuratae vertendi rationi; Donati explicatio vix recta est.

6. (= Class. Phil. I 43).

ὁ μῦθός ἐσμεν Πάμφιλ' ἤδη· γραῦς γέρων.

Ter. Hec. v. 620 sq. Laches de se ipso et uxore ad Pamphilum haec dicit:

postrémo nós iam fábulá
sumus, Pámphilé: senex átque anús.

Donatus annotat haec:

(4) *nos iam fabulae sumus]* ΝΑΝΡΑ: cod. B; rell. hiant. hae fragmenti Graeci miserae reliquiae a. 1906. amplificatae sunt codice principis Chigi, de quo primus rettulit Warren in ephemeridis quae vocatur *Classical Philology* tom. I pg. 43. ibi leguntur haec:

(4) *nos iam f. s.]* πὰν ἀρσομοδορο μύθος ἐσμεν δὴ πάμφιλε γραυς γιρον.

comparando ut certa possunt haec verba colligi:

πᾶν παρ' Ἀπολλοδώρῳ· ⟨ὁ⟩ μῦθός ἐσμεν Πάμφιλ' ⟨ἤ⟩δη·
γραῦς γέρων.

⟨ὁ⟩ et ⟨ἤ⟩δη scripsit Warren, qui et ipse transposuit verba ἤδη et Πάμφιλε; quae probat Wessner in ephem. phil. Berolin. a. 1906, coll. 765 sqq.

ad πᾶν παρ' Ἀπολλοδώρῳ cf. Hec. fr. 3 *totum Apollodori*.

alterum est fragmentum, quo demonstratur Terentium personarum nomina interdum non immutasse: Σύρα = *Syra* (fr. 1); Πάμφιλος = *Pamphilus*. verbo μῦθος corrigitur falsa lectio et Terenti et Donati codicum *fabulae*.

unum afferendum est **testimonium:**

Ter. Hec. v. 822. Bacchis meretrix longiore soliloquio spectatoribus narrat Philumenae stuprum a Pamphilo illatum ad v. 825. annotat Donatus:

(2) *quid exanimat. aut unde]* brevitati consulit Terentius, nam in Graeca haec a g u n t u r, non narrantur.

quae sine dubio sic sunt accipienda: Terentius Apollodori dialogum mutavit in monologum. quocum meretrix illum dialogum de stupro a Pamphilo Philumenae pridem illato egerit, apparet e scaena simillima Epitreponton Menandrea inde a v. 251,

qua Habrotonon fidicina Onesimo servo narrat Charisium erum Tauropoliis anni prioris virginem ingenuam vitiavisse. cum luce sit clarius Apollodorum in Hecyra componenda respexisse ad Epitrepontes Menandri — quod idem iam Sidonius Apollinaris ep. IV 12. observavit — vix dubium esse potest, quin Bacchis haec egerit cum servo Pamphili, quocum apud Terentium colloquitur vv. 808—815.

Vita.

Rudolfus Ludovicus Arthurus Saekel natus sum Regimon Borussiae Orientalis in capite, die 5. mensis Iulii a. 1888. pa Ludovico, matre Clara e gente Berdauia; fidei addictus sum Hug nottorum. Regimonti per 4 annos et dimidium Collegium Fridericianu frequentavi, quod tum regebat Ellendt minor †. Berolini discipul fui Gymnasii Fridericiani regentibus primo Voigt †, tum Tre delenburg, viro humanissimo, quem inprimis ad antiquitatis stu me inflammasse grato animo confiteor. inde a vere a. 1907. p 5 annos studiis et philosophis et philologicis et historicis in Al Matre Friderico-Guilelma me dedi. docuerunt me viri clarissi Dessoir, Diels, Drescher, Helm (nunc Rostochiensis), Hintze, Hirsc feld, Imelmann, Kekule de Stradonitz †, Kirchner, Maas, Meist Ed. Meyer, Muench †, Norden, Riehl, Roethe, Schaefer, Guil Schul Sternfeld, Thomas, Vahlen †, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendo

ad exercitationes historicas benigne me admiserunt Ed. Me et Hirschfeld.

praeterea proseminarii philologici et inferioris et superio sodalis fui per septies senos, seminarii philologici sodalis ext ordinarius ter senos fui menses.

magistris meis omnibus quam maximas ago gratias, inprin Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, Hermanno Diels, Eduar Norden. cui quid debeam, ego solus scio, nec unquam eum p desinam colere memoria.